



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760


VD18 90117875

Liber LIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER LIII.



JOANNES VIII. PAPA.
CARLOMANNUS REX GERMANIÆ,
BASILIUS IMPERATOR
ORIENTALIS.

§. I.

Photius revocatur.

Ex quo Photius depositus, & in exilium missus fuerat, nempe annis abhinc octo, viam nullam intentatam reliquerat, qua ad fastigium, unde dejectus fuerat, denuo posset ascendere. Imprimis nullis ingenii sui ad fraudes facti

Sæculum IX.
A. C. 878.

Nicet. vit.
Ign. p. 1250.

Ss 3

viribus

Sæculum IX. viribus parcebat ad nocendum Ignatio
A.C. 878. Patriarchæ; sed cum viri Sanctitas nul-
 lam calumniis ansam præberet, ad alia
 conversus consilia, Basilii Imperatoris fa-
 vorem sibi conciliandum existimavit, &
 nihil opportunum magis occurrit, quam,
 edita conficta Genealogia, hujus Princi-
 pis ambitionem palpare. Ergo Basilii
 genus deducebat a Tiridate Armenorum
 Rege, quo nullus fama clarior, nomina
 & rerum gestarum seriem, ut lubebat,
 commentus, usque ad Basilii patrem,
 quem nuncupabat *Beclas*, voce ex pri-
 mis literis nominis ipsius Basilii, uxoris
 ejus Eudociæ, & quatuor filiorum, Con-
 stantini, Leonis, Alexandri, & Stephe-
 ni, composita. Huic fabulæ addidit, e-
 ditum oraculum; Basilii Regnum cetero-
 rum omnium Cæsarum, qui ipsum
 præcessissent, felicius & longius futurum,
 & sexcenta alia, quæ Basilii ingenio ar-
 ridere sciebat.

Photius præclarum hoc opus in an-
 tiquissimis chartis literis Alexandrinis
 scripsit, quantum poterat veterum scri-
 bendi modum imitatus. Tum vetustis-
 simi cujusdam libri tegumentum acci-
 piens, illo volumen suum contegit, ju-
 betque in magna Palatii Bibliotheca de-
 poni. Fraudis conscius erat Theopha-
 nes, Imperatori ab Epistolis, qui eidem
 ob eruditionem carus postea ad Cethe-
 dram

dram Ecclesiæ Cæsariensis in Cappado-
 cia evectus est. Is igitur Photio collu-
 dens, & tempus opportunum nactus,
 Imperatori hunc librum ostendit, tan-
 quam omnium in Bibliotheca Cæsarea
 admiratione dignissimum, nequiter adj-
 ciens, nec se nec quemquam alium præ-
 ter Photium esse, qui eum posset intel-
 ligere. Illico ad Photium mittitur, qui,
 nemini se indicaturum esse arcanum, re-
 spondit, quam Imperatori, de quo scili-
 cet liber scriptus esset. Fefellerunt ve-
 teratores Basilium, qui secreta sciendi
 cupidine captus permisit, ut revocatus
 Photius in gratiam rediret. Jamque vix
 unquam a Principis latere avellebatur,
 nec ullius sermonibus magis quam Pho-
 tii, nam lepidus & versutissimus erat, Ba-
 silius delectabatur.

Præterea Photius in socium & adju-
 torem sibi adscivit quemdam Theodo-
 rum Sycophantam, cognomento Santa-
 barenum, ita appellatum a nomine pa-
 tris sui, qui Religione Manichæus & ar-
 te Necromantica imbutus, cum nescio
 quis ejus flagitia vulgasset, fugit ad Bul-
 garos, adhucdum paganos, & a fide de-
 fecit. Tanti patris filius Theodorus
 Constantinopoli relictus, juvenis, Mona-
 chis Studiensibus a Barda Cæsare tradi-
 tur, apud quos professus est vitam asce-
 ticam. Photii clientibus deinde adscri-
 ptus,

Sæculum IX.
 A. C. 878.

Sæculum IX. ptus, cum ille primo in Sedem Constantinopolitanam fuisset intrusus, Theodorus Episcopus creatus est, & Magistro suo ex illa Cathedra pulso suasis, ut quosdam in Palatio Cæsareo præfectos sibi conciliaret. Quin Theodorus & Photius in-

Nice. p. 1253 gentibus donis quemdam nomine Nicetam Imperatori Basilio a Cubiculis corrupisse ferebantur, qui potionibus & epulis medicatis a Theodoro acceptis, & Imperatori appositis effecisset, ut odium Photii in amicitiam verteretur.

Ut ut ista se habeant, Photius Theodorum Abbatem Imperatori commendavit, tanquam virum non modo scientia & sanctitate insignem, sed etiam prophetiæ dono clarum. Unde postea nemo frequentius Theodoro Imperatoris lateri hærebat.

Photius igitur istius hominis operæ usus Ignatium Patriarcham dejicere, & in Sedem suam redire conabatur; sed intelligens, id levi brachio fieri non posse, omnem lapidem movere cœpit, ut Ignatius ipsum tanquam Episcopum haberet. Ille vero importunis precibus aures occludens a Canonum præscripto nec latum unguem discessit, quibus ille restitui prohibetur, quem Concilium deposuit, nisi auctoritate majoris Concilii. Præterea Ignatius se ipsum periculo Depositionis exposuisset, si sententiam a se
latam

latam id est opus suum destruxisset. At Sæculum IX.
 Photius, cui Canonum erat ultima cura, A. C. 878.
 proprio arbitrio Ministerium Episcopale
 rursus usurpavit, & in Palatio, quod
 Magnaurus dicebatur, commorans, at-
 que Imperatoris indulgentia abutens,
 Monachorum Exarchos constituabat, nec
 non Clericos ordinabat.

§. II.

S. Ignatii obitus.

Inter hæc Ignatius Patriarcha, prope
 octogenarius, morbo correptus ad ex-
 trema deducitur. Media nocte, Cleri- *Id. p. 1243.*
 cis apud ipsum Officium recitantibus, &
 lectore de more Benedictionem petente
 Signum Crucis supra os ipsius formavit,
 quærens; *Cujus Sancti hodie memoria*
celebratur? Et, qui proximi adstabant,
 respondentibus: *S. Jacobi, Fratris Do-*
mini, amici tui, sancta animi humilitate
 dixit: *Est Magister meus.* Moxque cun-
 ctos præsentem ultimo salutans & Bene-
 dictionem impertiens, animam exhala-
 vit, (*) vigesima tertia Octobris, quam
 S s 5 diem

(*) Ad hunc locum in Cardinali Baronio
 lego: *Offendi facile quisque poterit, qui au-*
dierit recitatam superius † Joannis Papæ E-
pistolam ad ipsum Ignatium datam, qua ni-
mis perstringit ipsum, & a Communionem Ca-
tholica

† L. LII.
 §. 48.

Sæculum IX. diem Græci S. Jacobo Apostolo Sacram
 A.C. 878. habent. Defuncti S. Ignatii corpus ha-
 bitu Pontificio vestitum est, & superim-
 posita Epomis, seu Pallium, ipsi ante ali-
 quot annos Jerosolyma missum, quod
 tanto in pretio habuit, ut illud secum
 sepulchro inferri jusserit. Ita in feretro
 ligneo ad S. Sophiam deportatur, & pre-
 ces consuetæ recitantur. Mox vara, in
 quibus jacuerat, & pannus, quo tectus
 fuerat, a populo diripiuntur, cupiente
 reliquias Viri Sancti servare. Transla-
 tus est postea S. Ignatius in Ecclesiam
 S. Menantis, ubi interim quievit, & duæ
 mulieres a Dæmone possessæ fuerunt li-
 beratæ. Tandem Lembo imponitur, &
 in Ecclesia S. Michaelis ab ipso extructa
 tumulo marmoreo includitur; ubi edi-
 tis miraculis claruit. Agebatur annus
 octingentesimus septuagesimus octavus,
 postquam Sedem Constantinopolitanam,
 si etiam tempus, quo eam Photius inva-
 sit,

Sup. Lib.
 XLVIII.
 §. 38.

*tholica segregat, nisi intra dierum triginta
 spatium revocet ab eo ordinatos Episcopus
 Bulgaricæ. Quamvis autem ista ab Ignatio
 impleta minime inveniuntur, constat tamen eor-
 dem semper usque ad obitum & post obitum
 in Catholica Romancæ Ecclesiæ Communitate
 fuisse retentum cum quæ juris effectus
 suæ Ecclesiæ defendere, juramento teneretur ob-
 strictus. &c. Edit. Col.*

fit, computetur, annis plus quam tri-
 ginta tenuisset. Eum Ecclesiæ Græca
 & Latina honore Sanctis debito die qua
 obiit prosequuntur.

Sæculum IX.
 A. C. 878.

*Menol. &
 Mart. Rom.
 23. Octobr.*

§. VII.

Photius restituitur.

Necdum triduum effluxerat, cum Pho-
 tius, occupata iterum Sede Constan-
 tinopolitana, defuncti Patriarchæ ami-
 cos & servulos flagris, carcere, exilio, &
 nullo non pœnarum genere vexare cœ-
 pit. Multos, qui ejus reditum tanquam
 Regulis Ecclesiasticis contrarium prohi-
 bere conabantur, variis modis afflixit, a-
 lios muneribus, Dignitatibus Transla-
 tione ab una Ecclesia ad pinguiorem in
 suam Communionem pertraxit. Adver-
 sarios calumniis opprimebat, accusans
 eos impudiciæ, quam omnes Boni abo-
 minantur; sed crimina turpissima dilue-
 bantur, simul ac aliquis ipsius Commu-
 nionem amplectebatur, & qui heri sacri-
 legus, fur, latro, scortator fuerat, hodie
 Photii Collega, Frater & Præsul venera-
 bilis habebatur, quem non modo Digni-
 tati Episcopali restituebat, sed etiam ad
 Sedem majorem evehebat. Fuere, quos
 hac arte sæpius a se depositos sæpius re-
 stituit. Aliqui Concilio Oecumenico
 adhærentes, in quo Photius depositus
 fuerat, eum recipere constanter recusa-
 runt.

Sæculum IX. runt. Hos ille terrore minisque ad com-
A. C. 879. municandum secum compellere tenta-
 vit, &, quos frangere non potuit, Soro-
 rio suo, Leoni *Catacalæ*, quem Prætorianis præfecerat, tradidit. Erat vero ille hominum crudelissimus, qui complures, quorum durabat constantia, necavit, alii tormentorum vi fracti sunt. Nihil magis cordi erat Photio, quam Episcopos ab Ignatio ordinatos deponere, & depositos restituere; sed quia id Imperatori non probabatur, ab Ignatio ordinatos iterato ordinare aggressus est. Cumque videret, hanc molitionem omnibus horro-
 rori esse, Palliis, Stolis, ceterisque Sacerdotii Insignibus coemptis, preces in Ordinatione Episcopi dici solitas, occulte super eos recitabat. Quod summa gratiæ loco habendum existimabat, ab iisque, quos secundo ordinabat, Sacramenta & promissa scripta exigebat, ipsius partibus semper futuros addictissimos.

vit. Ign. p.
 1258.
 ep. Styl.
 p. 1406.

Photius.

Photius, Euphemiano vi expulso, Sedem Euchaitensem in Natolia Theodoro Santabareno contulit, quam ille cupiebat; quin etiam Metropolitanarum vicinorum Jurisdictioni tot Sedes Episcopales, quot Theodoro videbatur, subtraxit, eique subjecit, quem idcirco *Protobronum* id est, primæ Sedis, Patriarchæ Constantinopolitano subditæ, Episcopum pro-

pronunciavit, & in quolibet conventu sibi proximum considerare jussit. Nicephorum, Metropolitanam Nicenum, Sedi suæ renunciare, & regimine cujusdam hospitii contentum esse compulit. In Sedem vero Nicenam Amphiloichum Zyzicenum imposuit, quo post breve temporis spatium fatis functo, in ejus locum Gregorium Syracusanum subrogavit. Huic etiam paulo post mortuo Photius Orationem funebrem, in qua defunctum illustrissimis Ecclesiæ Patribus æquiparabat, concinnavit.

Haud diu post quam Photius Ecclesiam Constantinopolitanam denuo invasisset, nempe eodem anno octingentesimo septuagesimo nono Imperator Basilius Constantino filio suo natu maximo, quem jam primo Regni sui anno Imperatorem coronari jusserat, orbatus est. Hunc principem in flore ætatis correptum maligna febris intra paucos dies e vivis sustulerat; Photius vero, ut summum dolorem Imperatoris leniret, Constantinum Sanctorum numero adscribere, Ecclesiasque & Monasteria ejus honori consecrare ausus est. Quin ferebatur Santabarenius, Imperatori in silva iter facienti spectrum equitans, & aurea chlamide splendescens objecisse, quod cum Parens, filium suum adesse ratus, affectu decepto fuisset amplexus, ipsius oculis ereptum

Sæculum IX. ptum fuisset. At Catholici præmaturam
 A. C. 879. juvenis Regii mortem divinæ vindictæ
 adscribendam esse crediderunt, quod
 Simeon. Photius fuisset revocatus. Illud quoque
 Mag. n. 17. non sine Numine accidisse dicebant,
 quod magna civitas Syracusana, Sicilia
 caput, Græcorum imperio erepta, a Mu-
 sulmannis ex Africa capta fuisset, popu-
 lus in captivitatem abstractus, Ecclesiæ
 incensæ, urbs tota everfa. Ceterum et
 illa ruina Syracusæ nunquam satis resur-
 gere potuerunt.

Ep. Styria. Qui Photium nolebant recipere, præ-
 p. 1403. ter alia argumenta afferebant, quod in
 ejus reditum Papa non consensisset. (*)
 Ut ergo haberet, quod iis responderet,
 & simplices falleret, duos Legatos Pau-
 lum Episcopum Anconitanum & Euge-
 nium Episcopum Ostiensem a Joanne Pa-
 pa in causâ Bulgarorum Constantinopolim
 missos corrupit. Hi enim Ignatio
 jam defuncto Constantinopolim perve-
 nientes, primo quidem cum Photio com-
 municare recusarunt, postea vero tum
 Photii muneribus illecti, tum Imperato-
 ris comminationibus territi præsentibus
 Episcopis, Clericis populoque dixerunt,

(*) Invincibile fuit hoc argumentum, de-
 ductum a necessitate Hierarchiæ, sine qua sex-
 centas Ecclesias a Romano-Catholica temere se-
 paratas misere languescere hodieque videmus.

se a Joanne Papa fuisse missos ad Ignatium anathematizandum, & Photium in Dignitate Patriarchali confirmandum. Sæculum IX.
A.C. 879.

Quæ res complures Episcopos decepit.

§. IV.

Photius Apocrisarium Romam mittit.

Tunc vero Photius Romam misit Theodorum, quem in exilio degens Metropolitanam Patræ ordinaverat; sed eum deinde per contemptum Episcopum Aphantopolitanum, id est, civitatis non existentis, appellarunt. Huic igitur Romam pergere jussu tanquam suo Apocrisario epistolam dedit, Joanni Papæ reddendam, in qua dicebat; jam se a cunctis hominum ordinibus secundo compulsus fuisse Patriarchalem Sedem conscendere. Atque ut fidem faceret, Epistolæ addidit libellum, cui subscriperant Metropolitanæ; hos enim deceperat mentitus, necesse esse, ut pactis quibusdam Ecclesiæ lucrativis sed secretis nomen apponerent. Annulos vero eorum clam furrari præceperat a Petro sibi a Secretis, qui deinde in astutiæ præmium a Photio Sedem Metropolitanam Sardanensem accepit.

Præterea Photius ad Papam misit Epistolam commentitiam, Ignatii Patriarchæ, aliorumque Episcoporum nomine scri-

Sæculum IX. scriptam, in qua rogare fingebantur, ut
A. C. 879. Photium reciperet. (*) Huic junctæ

ep. 168.

ep. 169.

ep. 178.

quoque erant Basilii Imperatoris literæ, in quibus Photius commendabatur. Cum illi, qui hanc Legationem susceperant, ineunte mense Aprili anno octingentesimo septuagesimo nono in Italiam pervenissent, Gregorius *Bailus*, seu Imperatoris Basilii in Italia Vicarius, misso tabellario Papam monuit, Græcos hospites per civitatem Capuanam committuros. Unde Papa datis ad Pandenulum illi civitati præfectum literis, hortatus est, ut eos tuto Romam usque perduceret. Simul ipsi Vicario scribens, profitebatur, quam ardenti desiderio teneretur, pacem in Ecclesiam Constantinopolitanam reducendi, promittebatque, se Legatos convenienti honore excepturum. Haud diu post rursus scripsit Papa, omnia se disposuisse, quo securi iter facerent, rogans, ut eos per civitates Beneventum & Capuam dirigeret.

Hæc

(*) Non satis clare hæc narrat Fleurius: quid prius quid postea factum fuerit. Nam hanc Epistolam a Photio missam fuisse, Ignatium adhucdum in vivis agente, necesse est. Interim contra Protestantes vel ab ipso Photio argumentum clarissimum eruitur, ipsum sibi persuasum habuisse, nunquam futurum, ut ab universali Ecclesia legitimus Patriarcha haberetur, non consentiente Romano Pontifice.

Hæc Epistola sexta Maji anno octingentesimo septuagesimo nono data. Paucos ante dies Papa, cum tres Monachos a Theodosio Patriarcha Jerosolymitano ad se delegatos dimitteret, in Epistola ipsis commissa, excusabat, quod longo tempore eos detinisset, cum se in Francia commorante venissent. Quia vero eleemosynam modicam illo mittebat, rationem reddit, quod Romani a Paganis gravissime premerentur.

Sæculum IX
A. C. 879.

ep. 170.

§. V.

Concilium Romanum.

Prius autem, nempe quinta Martii anno octingentesimo septuagesimo nono, Pontifex Romanum Neo-Archiepiscopum Ravennatem cum omnibus suis Suffraganeis ad Concilium Romæ vigesima quarta Aprilis celebrandum vocaverat, quo servarentur Canones, inquebat, præcipientes, bis in anno Synodos convocari. Distulit deinde istud Concilium ad diem primam Maji, jubens, ut etiam Anspertus Archiepiscopus Mediolanensis cum omnibus suis Suffraganeis veniret, & indicans, in illo Conventu præter causas Ecclesiasticas etiam de electione Imperatoris agendum esse, cum Carlomannus, Rex Baviaræ, aliunde quidem, nempe jure sanguinis, aptus Imperio, bella pro Ecclesiæ libertate movere

ep. 153.

Ep. 155.

Hist. Ecclesiast. Tom. XII.

T t va-

Sæculum IX. valetudine impediretur. Tum Papa
A. C. 879. Ansperto exprobrat, quod ad Concilium,
 etsi ter vocatus, venire neglexisset.

Nempe, ad Concilium anno superio-
 re Ticini indictum. Sed nec ad Conci-
 lium Romanum Anspertus venit, uti in-
 dictum fuerat, prima Maji anno octin-
 gesimo septuagesimo nono celebra-
 tum. Quare Papa eum data Epistola a-
 criter increpat, quod non misisset saltem
 Legatum cum literis, qui absentiae cau-
 sam attulisset. Igitur significat, quod in
 hoc posteriore Concilio ipsum Commu-
 nione Ecclesiastica privaverit, & distri-
 cte præcipit, ut ad Concilium duodeci-
 ma Octobris eodem anno Romæ cele-
 brandum certo certius veniret.

§. VI.

Pontificis Literæ ad Sclavos.

Cang. famil. Inter hæc Summo Pontifici redditæ sunt
 p. 278. Epistolæ cujusdam Principis Sclavi,
 nomine *Branimir* vel *Barnimer*, quem
 eundem ac *Predemirum* Servia ac Dalma-
 tia Principem fuisse credunt. Is prohi-
 tebatur, velle se cum omnibus sibi sub-
 ditis sub obedientiam Sacrae Sedis redire,
 a qua ipsos a Græcis abstractos fuisse
 conjicere licet. Hos Papa paterno affe-
 ctu amplexus est; quod ex ipsius literis
 tum ad hunc Principem & ad Episcopos
 illius Regionis, tum ad populum ipsi sub-
 jectum

p. 184. 185.

jectum datis videmus. Utrique autem Sæculum IX.
 Epistolæ dies septima Junii anno octin- A. C. 879.
 gentesimo septuagesimo nono apposta
 est. Eaque Joanni Presbytero illius Prin-
 cipis Legato, atque etiam altera, Regi
 Bulgarorum scripta, commissa. Nam
 Branimirum rogat Pontifex, ut eam ad
 illum Regem deferri curet. In ea Pon- ep. 189.
 tifex Regem hortatur, ut sub Jurisdi-
 ctionem Ecclesiæ Romanæ redeat, ad
 quam conditionem implendam Lega-
 tum se missurum spondet. Idem Joan-
 nes Presbyter Epistolam ad Clericos Ec-
 clesiæ Salonensis, Sede Vacante, & Epis-
 copos Dalmatiæ deferebat, in qua ipsis
 cum comminatione excommunicationis
 præcipiebat, ut quem Archiepiscopum
 elegerint, ad se mitterent, Consecratio-
 nem & Pallium de more accepturum, nec
 opinionem Græcorum aut Sclavorum
 sequerentur.

Præterea Joannes Presbyter Pontifici
 reddiderat Epistolam *Tuentari*, Moraviæ
 Principis, qui de quibusdam articulis fi-
 dei, quam sequi oporteret, dubitabat.
 Respondet Papa, Fidem Romanæ Eccle- ep. 194.
 siæ esse tenendam, & addit: *Quia ad*
nos delatum est, Methodium Archiepisco- Sup. Lib. L.
pum vestrum, ab Hadriano Papa ordina-
tum & ad vos missum alia docere, quam
ea, quæ in ejus Fidei Confessione coram
Sacra Sede deposita continentur, præci-
§. 54.

Sæculum IX. *pimus, ut ad nos veniat; sic enim ex ore
A. C. 879. ipsius, an Orthodoxus sit, intelligemus.*

Ep. 195.

Altera etiam erat Epistola ad ipsum Methodium data, in qua Summus Pontifex dicit: *Illud quoque comperimus, quod Missam cantes lingua Sclavorum, quod faceres jam prius in Epistolis nostris a Paulo Episcopo Anconitano delatis tibi prohibuimus. Volumus ergo, ut Missam vel Latine vel Græce, more totius Ecclesiæ in omnibus Orbis partibus recepto celebres. Verbum Dei autem lingua, qua illi populo patria est, prædicare licet.* Joannes Papa videtur ignorasse, Syros, Ægyptios, Armenos omni tempore Missam lingua patria celebrasse.

§. VII.

Papæ Epistolæ Constantinopolim datae.

ep. 199. Tandem mense Augusto, hoc anno octingentesimo septuagesimo nono Joannes Papa remisit Legatos Constantinopolitanos cum Epistolis faventibus Photio, quem ut Patriarcham legitimam agnosceret, contra omnes Regulas Disciplinæ Ecclesiasticæ & Antecessorum suorum exempla, adduci se passus est. (*)

(*) Ad hunc locum R. P. Antonius Pagi hæc habet: *Obtinere præter omnem spem Legati*

Tanto Joannes flagrabat desiderio Basilicum Imperatorem sibi conciliandi & ad subveniendum Italiae praesertim Urbi adversus infesta Saracenorum arma per-
 movendi. In Epistola ad Imperatorem Papa dicit; quod ipsius precibus stimu-
 latus,

Sæculum IX.
 A. C. 879.
 to. 8. Conc.
 p. 1415.

T t 3

gati, quæ pro Photio petierunt, indeque Baronius Num. V. arbitratus est, Joannem VIII. ob nimiam facilitatem contumeliæ loco Papisam dictum fuisse, sicque jactatam fabulam locum dedisse Joannæ Papisæ. Placuit magnis viris illa Baronii conjectura, & hujus exemplo Papebrocius in Conatu Chronico historico suspicatus est, pusillanimitatem non Joannis VIII. sed Joannis VII. in non refellendis Canonibus Trullensibus eidem Fabulæ occasionem dedisse. Verum ne utrum mihi unquam persuadere potui; cum videam fabulam de Papisæ Joanna a Viro rei historicæ imperito excogitatam &c.

Addit Pagi: Ceterum Joannem VIII. excusatione dignum jure merito censet Marcellus lib. 3. de Concord. c. 14. Quod nempe Pontifex necessitati cessisset. Diversa est Cardinalis Baronii censura ad hunc annum Num. VI. sic loquentis: Quanta autem mala ejusmodi factum Joannis sequuta sint, nemo puto numerare facile poterit. Utpote quod quæ tunc cœpta in hanc usque diem infeliciter eadem perseverent. Quæ enim non ausus est impius, ubi sensit, non habere ut antea adversantem Pontificem sed faventem?

Sæculum IX. latus, cum præterea defuncto Ignatio
 A. C. 879. Patriarcha Sedes vacaret, aliæque neces-
 sitates urgerent, Photio indulgeat, et in Ministerium Sacerdotale, sibi a Sacra
 Sede interdictum, eadem Sede inconsulta, se ingessisset. Existimat vero Pon-
 tificem factum satis purgari, cum dicitur, e-
 jusmodi indulgentiam in secundo Cano-
 ne Concilii Niceni permitti, ubi legere-
 tur, multa facta fuisse contra Discipuli-
 nam urgente necessitate, aut quan-
 do importunis hominum præpoten-
 tium postulationibus cedendum fuisset.
 Attamen Concilium Nicenum hæc refert
 tanquam abusus, & ne in posterum simi-
 lia admittantur, prohibet. (*) Tum
 postquam in eadem Epistola Joannes Pa-
 pa complurium aliorum auctoritatem
 adduxisset, quod necessitas dispensatio-
 nem a lege sæpe licitam faciat, subdit:
*Nunc ergo, cum ceteri Patriarchæ, Alex-
 andrinus, Antiochenus, & Ierosolymita-
 nus, omnes Archiepiscopi, Metropolita-
 & Episcopi, omnes Clerici Constantino-
 politanæ Ecclesiæ, a Methodio vel Igna-
 tio ordinati, in Restitutionem Pontifi-*

*Sup. Lib.
 XI. §. 16.*

(*) Nihilominus, quod hic ad excusandum
 se affert Joannes Papa, si non tanquam Regula
 faltem tanquam Exemplum eorum, quæ ante
 ipsum contigerunt, valet.

consentiant, () nos quoque eundem E-* Sæculum IX.
piscopum, Fratrem, Collegam recipimus, A. C. 879.
ea conditione, si præsentem toto Concilio
misericordiam de more petierit.

Atque ut omnem litigandi materiam
ab Ecclesia removeamus, Photium & om-
nes Episcopos, Presbyteros, ceterosque
Clericos & Laicos, eodem anathemate in-
volutos, ab omni Censura Ecclesiastica
absolvimus, potestate illa freti, quam
tota Ecclesia Nobis in Persona Principis
Apostolorum collatam credit, atque ad o-
mnes Fideles, nemine prorsus excepto,
*extensam. (**)* *Cum præterea Legati* *Sup. Lib.*
Hadriani Papæ Antecessoris nostri Con- *LI. §. 46.*
cilio Constantinopolitano subscripserint,
addita conditione, si ita Papæ visum fuis-
set, atque etiam complures Patriarchas
uti Athanasium, Cyrillum Alexandri-
num, Flavianum, Joannem Constantino-
politianum, & Policronium Jerosolymi-
tanum, aliquando in Conciliis damnatos,

T t 4 Sacra

(*) Hæc Joannes Papa vel a Photio dece-
 ptus, vel dissimulans, loquitur. Vid. sup. N. IV.
 Ceterum Photius adjectam conditionem; *Si*
misericordiam petierit, & plura alia in hac E-
 pistola delevit. Notæ ad Aët. Concil.

(**) Non de potestate, quam ipse Photius
 nolens volens agnoscebat, sed de legitimo po-
 testatis usu quæstio a Scriptoribus Ecclesiasticis
 movetur.

Sæculum IX.

A. C. 879.

to. III. Cont.

p. 1283.

ep. 8. Nicol.

p. 305.

Baron. an.

433. in fi.

Photius ab-
solvitur.

Sacra Sedes absolverit. Quod hic affer-
tur de Polichronio Jerosolymitano non
habet aliud fundamentum, quam Acta
Concilii (ut hic dicitur) Romæ, sedente
Sixto III. Papa, anno quadringentesimo
trigesimo tertio habiti. Sed fabula est;
nam nulla de hoc Concilio mentio prius,
quam in aliqua Epistola Nicolai I. ad Mi-
chaelem Imperatorem data, occurrit.

Tum Joannes Papa prosequitur in
hunc modum: *Hæc vero ista conditio
decernimus, ut post Photii Patriarchæ o-
bitum nullus ex Laicis, sed Presbyter aut
Diaconus Cardinalis Ecclesiæ Constan-
tinopolitanæ secundum Canones eligatur.
Addimus & alteram conditionem, ne vi-
delicet deinceps Patriarcha ullam juris-
dictionem exercent in provincia Bulgaria,
quam Antecessor noster Nicolaus, feli-
cis memoriæ, fidem Catholicam edocuit,
a Michaele Rege rogatus, & ibi Baptis-
mum per Episcopos suos conferri iussit.
Ceterum hortamur te, ut deinceps Pa-
triarcham Constantinopolitanum, tanquam
Patrem tuum Spiritualem, & inter
Deum teque Mediatorem honores, & ob-
treclatoribus aures non præbeas. Sic e-
nim facile superiorum temporum turba
componentur. Præcipimus etiam, ut ad
Ecclesiæ unitatem revoces omnes Episco-
pos & Clericos ab Ignatio consecratos,
eosque benigno favore recipias, eosdem in
Eccle-*

Ecclesias suas reduci jubeas, quo concordia omni ex parte restituatur. Si vero aliqui sint, qui cum Patriarcha communicare recusent, & ter moniti obtemperare noluerint, hos excommunicatos, usque dum convertantur, Nos, & Concilium nostrum bis literis delavamus. Hæc Epistola decima sexta Augusti anno octingentesimo septuagesimo nono data est. (*)

Sæculum IX.
A. C. 879.

In Epistola ad Photium Papa loquitur in hunc modum: *Quod dicas, totam Ecclesiam Constantinopolitanam quoad electionem tuam consentire, teque in Sedem vacantem rediisse, Legatos vero nostros tecum Missam non celebrare, scias illos hac de re a nobis nulla mandata accepisse, quia res ad Sedem Constantinopolitanam pertinentes ignorabamus.* Hi Legati erant Paulus & Eugenius anno superiore missi. Tum Papa Photium exhortatur, ut in spiritu lenitatis animos divisos conjungeret, & ab Imperatore obtinere conaretur, ut exules revocarentur.

Epist. 201.
to. 8. Conc.
p. 1478.
Sup. Lib.
L. II. §. 48.

Joannes Papa responsorias quoque dedit ad Episcopos Sedi Constantinopolitanae subjectos, sermonem ad tres alias

T t 5 quo-

(*) Hæc Epistola, quam Fleurius numero 199. citat, in Actis Conc. Edit. Paris. ponitur numero nonagesima tertia. Et sic de aliis.

Sæculum IX. quoque Ecclesias Patriarchales dirigens,
A.C. 879.

Ep. 200. to.
8. p. 1474.

Dicit, ipsorum summis precibus se dare, ut Photius restituatur, ea ratione, quæ id sine majore scandalo fieri posset, iisque conditionibus, ut deinceps Canones observarentur, qui Neophytos ab Ordinibus arcent, ut Jurisdictio in Bulgariam, quæ Sacræ Sedi competit, a nemine violaretur, & Photius coram Con-

Innoc. ep. 22. cilio veniam rogaret. Hac in causa

c. 7.
Sup. lib.
XXIII.
§. 33.

putat Papa, se exemplum sequi Antecessoris sui Innocentii I. qui ut Episcoporum Macedoniæ precibus obsequeretur, Photinum Episcopum recepisset.

ep. 202. Tandem Joannes Papa datis ad tres Patricios Joannem, Leonem & Paulum, ad tres Metropolitas, Stylianum, Joannem & Metrophanem, ad omnes Clericos, populumque Constantinopolitanum Epistolis, hortatur comminans pœnam excommunicationis, ut ad Photii Communionem redeant, nec se excusent, quod subscriptione contraria se obstrinxissent, quia Ecclesia ab omni vinculo absolventi potestate gauderet.

ep. 203.

§. VIII.

Mandata Legatis data.

Has Epistolas omnes mense Augusto, Indictione duodecima datas Petrus Presbyter Cardinalis detulit; quem in isto negotio socium dedit Paulo & Eugenio

genio Episcopis jam prius a se Constan-
tinopolim missis. His vero scripsit in A. C. 879.

hunc modum: *Quamvis contra voluntatem nostram egeritis, & postquam Constantinopolim pervenistis, in ea inquirere debuissetis, quæ ad pacem & concordiam Ecclesiæ pertinebant, tum Romam redire, nobis omnia accurate relaturi, nihilominus volumus, ut operam jungatis cum Petro Presbytero Cardinali ad concordiam & pacem reducendam juxta tenorem Epistolarum nostrarum & mandata in articulos divisa, quæ vobis mittimus, ut ista meliore fide quam priora exequentes nobis reconciliari mereamini.* Habe-
to. 9. Conc.
p. 322. & ap.
Allat. de 8.
Syn. p. 221.
Sup. Lib.
XXXI. §. 22
to. 4. Conc.
p. 1416.

mus hæc Mandata de quibus hic est ser-
mo, eorumque initium descriptum vi-
detur ex illis, quæ Hormisdas Papa Le-
gatis suis anno quingentesimo decimo
quinto tradidit, a me suo loco memora-
ta. Mandata vero Joannis Papæ in ar-
ticulos undecim dividuntur, & post-
quam præscripsit, quæ a Legatis in con-
spectu Imperatoris essent proferenda, ad-
jicitur: *Altera die, invisite sanctissimum
Photium, & Epistola reddita dicite:
Joannes Papa, Dominus noster, salutem
tibi dicit, teque ob preces Imperatoris,
atque amore pacis Ecclesiasticæ, Fratrem
& Collegam habere cupit. Tum adde-
tis: Jubet Papa, ut omnes in diversis lo-
cis Exules, Episcopi, Presbyteri aliique,*
qui

Art. 2.3.

art. 5.

Sæculum IX. *qui huc usque tecum communicare noluerunt, tua potissimum cura Ecclesiæ & tibi reconcilientur. Si veniant, tanquam*

A. C. 879. *pater filios recipe, & hortare, ut voluntati Papæ obsequantur. Et infra: Ab*

art. 6. *este Concilio, quod cum Patriarcha, cum Legatis Orientis, ceterisque Episcopis celebrandum est. Primo legantur Epistolæ ad Imperatorem missæ & queratur ex Patribus an eas recipiant. Si receperint, dicetis: Misit nos Papa ad reducendam inter vos pacem & concordiam. Tunc*

art. 7. *autem illos, qui redire in pacem recusaverint, excommunicatos atque ab omni gradu Ecclesiastico dejectos pronunciate. Volumus, ut, secundum Canones post obitum*

art. 8. *Photii Patriarchæ nemo ab Officiis & Dignitatibus sæcularibus in Sedem Constantinopolitanam transferatur. Volumus, ut coram Concilio Photium rogetis, ne*

9. *cuiquam Pallium in Bulgaria conferat, & neminem in illa provincia ordinet.*

10. *Volumus etiam, ut Concilia contra Photium habita, tam Romanum sub Hadriano Papa, quam Constantinopolitanum ex hoc tempore nulla declarentur, & ex numero Conciliorum expungantur. (*)*

11. *Certe,*

(*) Quæ sincera, quæ adulterata sint in Epistolis Joannis Papæ in hac causa Constantinopolim missis quis dispiciat? Tanta fuit Photii impro-

vete, ne vos vel muneribus, vel adulatione
 nis illecebris, vel minis perverti patia-
 mini, sed a via recta non deflectite, & co-
 gitate, quod nomine nostro & auctorita-
 te nostra pro pace & utilitate Ecclesie
 hoc negotium susceperitis.

Sæculum IX.

A.C. 879.

His mandatis illi Episcopi subscripse-
 runt, qui Concilio Romano, in quo con-
 scripta sunt, intererant, videlicet Epis-
 copi septendecim, quorum præcipui e-
 rant, Zacharias Episcopus Anagniensis,
 Sacræ Sedis Bibliothecarius, Gauderi-
 cus Episcopus Velitrensis, Petrus Foro-
 sempronienensis, & Walpertus Episcopus
 Portuensis, loco Formosi depositi. Ad-
 erant etiam Presbyteri quinque, & duo
 Diaconi, Cardinales. Ceterum cuncti
 suspicantur, exemplar istorum Mandato-
 rum, quod nobis superest, a Photio fuis-
 se depravatum.

§. XI.

Concilium Romanum alterum.

Angelbergæ Ludovici Imperatoris vi-
 duæ, cujus magna erat apud Papam
 auctoritas, instantissime roganti, ut An-
 spertum Archiepiscopum Mediolanensem
 ab

ep. 204.

improbis! Ceterum constat, Ecclesiam Uni-
 versalem Concilium Oecumenicum VIII. sub Ha-
 driano Papa celebratum semper recepisse, Sy-
 nodum vero istam Photianam rejecisse.

Sæculum IX. ab excommunicatione absolveret, respon-
dit, id sibi habere constitutum proxima

A.C 879.

Imperatoris Ludovici anniversaria die. Cum vero hæc censura contra Anspertum in Concilio fuisset pronunciata, non oportere eam sine consensu Episcoporum illius Concilii tolli. *Attamen, subjungit, duodecima Octobris aliud Concilium celebrabimus. Veniat, aut suo nomine Episcopus mittat, & postquam Concilio satisfecerit, procul dubio & lubentes ipsum absolvemus, & tanquam Fratrem recipiemus.*

Hæc verba Joannis Papæ auctoritati Conciliorum faventia notatu admodum digna sunt. Ceterum dies anniversaria Ludovici Imperatoris trigesima prima Augusti agebatur.

ep. 218.

ep. 309.

Summus Pontifex in Epistola ad Romanum Archiepiscopum Ravennatem vigesima prima Sept. data jubet, ut cum suis Suffraganeis ad hoc Concilium veniat. In alia Epistola jam prius ad eundem data hunc Præsulem increpat, quod ab Ecclesia sua discessisset, & ob injurias ab Adversariis suis acceptas, ad Sacram Sedem non confugisset. Concilium, quod Romæ indictum fuerat, decima quinta Octobris celebratum est, cumque Anspertus Archiepiscopus nec ipse venisset, nec misisset, qui ipsius nomine causam dicerent, depositus est.

Tim

Tumque Papa datus ad Clericos Medio-
lanenses, & Episcopos illius provinciae
literis alium Episcopum eligi iussit. *Et*
si virum idoneum elegeritis, subdit Pa-
pa, *Decretum Electionis ad nos mit-*
tite, ut fert mos antiquus, & Regum
Constitutiones praescribunt. Mittimus
vobis Joannem Episcopum Ticinensem,
& Weltonem Ariminensem, qui vobis-
cum Praesulem eligant. Quamvis con-
trarium putet Joannes Papa, tempore
S. Gregorii mos vigeat, ut Archiepis-
copus Mediolanensis ab aliquo suorum
Suffraganeorum consecraretur.

II. Indist.
II. ep. 29.
Sup. Lib.
XXXV.
S. 32.

Anspertus, nullam habens rationem
excommunicationis in Concilio prima
Maji contra se pronunciatae, non absti-
nerat a Ministerio Episcopali cumque
Ecclesia Vercellensis vacaret, Episcopum,
nomine Josephum, ordinaverat.

Igitur Papa in Concilio quinta Octo-
bris hanc Ordinationem nullam decla-
rat, atque suis ipse manibus Episcopum
Vercellensem ordinat Cunsperum, cui
Carlomannus tanquam Rex Italiae, mo-
re Regum Antecessorum suorum, hanc
Ecclesiam contulerat. Quia vero Car-
lomannus morbo pressus languebat, Pa-
pa hac de re Carolo ejus fratri, cui Im-
perium destinabat, scripsit, rogans, ut
Cunsperum sua potentia defenderet.
Scripsit quoque Clericis, populoque Ver-
cellensi

Anspertus
Mediolanen-
sis.

Ep. 222.
ep. 261.
ep. 223.

Sæculum IX.
A. C. 879.
cellensi jubens, ut eum reciperent; dicebat enim, quod oporteret, felices se credere Vercellenses, cum Episcopum a Papa consecratum acciperent, & refractariis excommunicationis pœnam comminabatur.

Permuli crediderunt, jurgia inter Anspertum usque adeo pertinacem, & Papam tantopere indignantem indertum traxisse, quod in negotio maximo momenti, nempe, quis Princeps in Regem Italiæ & Imperatorem eligendus esset, diffiderent. Vidimus enim, hanc quæstionem in Conciliis a Pontifice frequenter convocatis moveri, & Archiepiscopus Mediolanensis ex consuetudinis jure, quo gaudebat, Regem Longobardiæ a se coronandum esse contendebat. Illud quoque alii conjiciebant, Papam cepisse consilium, Bosonem, quem in Filium adoptaverat, Imperatorem proclamandi. Sed Boso aliam sibi coronam comparavit.

§. X.

Boso Rex coronatur.

Ann. Bert.
879.

Bosonis uxor Ermingardis sæpe mulle-
bri ambitione dicere audita fuerat;
sibi, ex Imperatore Italiæ natæ, & olim
Imperatori Græcorum desponsatæ, vi-
tam fore intolerabilem, nisi efficeret, ut
maritus suus in Regum numerum asse-
retur.

retur. Inter hæc vero Ludovicus Bal-
 bus Compendii in parasceve, decima o-
 ctava Aprilis anno octingentesimo se-
 ptuagesimo nono e vita discesserat, cum
 non plus mensibus octodecim regnasset, *Ann. Met.*
 annos natus triginta quinque, relictis *878.*
 duobus filiis, Ludovico & Carlomanno, *Sup. Lib.*
 genitis ex Ansgarde, ad quam dimitten- *LII. §. 54.*
 dam, ut memoravimus, & ducendam
 Adelheidem eum parens compulerat.
 Porro Adelheidis, cum Rex maritus mo-
 reretur, uterum ferebat. Nihilominus
 Ludovicus & Carlomannus Reges salu-
 tantur, & ab Ansegiso Archiepiscopo
 Senonensi in Monasterio Ferrariensi coro-
 nantur. Ergo Boso, occasione usus &
 tempore, quo Regum puerorum ferme
 nulla erat auctoritas, Episcopos Provin-
 ciæ aliarumque regionum adjacentium
 usque ad Burgundiam tum minis tum
 promissis (nam Monasteria & agros iis-
 dem postea donavit) coegit, ut se Regem
 coronarent.

Inaugurationis solemnia in loco vul-
 go *Mantale* seu *Mante* prope Viennam
 decima quinta Octobris anno octingen-
 tesimo septuagesimo nono peracta. Illo
 Episcopi viginti tres convenerant, quo-
 rum Diœceses hujus novi regni latitudi-
 nem indicant. Inter Episcopos emine-
 bant Archiepiscopi sex Ottramus Vien-
 nensis, Aurelianus Lugdunensis, Teutra-

Hist. Eccles. Tom. XII. U u mus

Tom. IX.
Conc. p. 331.

Sæculum IX. A. C. 879. mus Tarentasianus, Robertus Aquensis, Rostangius Arelatensis, Theodoricus Vesuntinus. Ceteri erant istorum Suffraganei. De Actis hujus Concilii tria habemus, Decretum electionis, Epistolam ad Regem, ejusque responsum. In Decreto hæc leguntur; Rege defuncto (nempe Ludovico Balbo) cum populus Defensorem non haberet, Episcopos & Optimates oculos conjecisse in Bosonem Principem, virum ad protegendam rempublicam præ ceteris idoneum, cujus sub Carolo Imperatore & Ludovico Rege maxima fuisset auctoritas, quem hodie Joannes Papa summo in pretio haberet, & tanquam filium diligeret; quare eundem invitum fuisse electum, & reluctantem unctum & coronatum. In Epistola, petunt Bosonis consensum, & conditiones, id est, boni Regis officia, ponunt. In Responso, Boso Regnum recipit, quamvis se tali honore indignum profiteatur, *ne Divinæ voluntati, inquit, resistere videar.* An utrinque sincere locuti fuerint, ex iis, quæ paulo antea retuli, lector judicet.

§. XI.

Res Italiae.

ep. 109. Pontifex vero adhucdum ad pacta cum Saracenis rescindenda Principes Italiae permovere conabatur. Datis ad Pulcarium

carium Amalfiæ Præfectum literis exprobravit, quod decem millia marcarum argenti accepisset, ut S. Petri agros defenderet, & petiit, ut restitueret. Sed tandem videns, quod Amalfitani foedera cum Infidelibus inita rescindere nollent, excommunicatos declaravit, data Epistola vigesima quarta Octobris anno octingentesimo septuagesimo nono, donec obedirent. In alia rursus Epistola, quam etiam ad Athanasium Episcopum Neapolitanum & Episcopum Cajetanum, & ipsos foedere Saracenis junctos, deferri jussit, spatium pœnitentiæ usque ad primam Decembris extendit.

Sub idem tempus cives Capuanî Episcopum suum Landulfum haud diu ante canonice electum, cujus etiam electionem Papa confirmaverat, ejecerunt; potentissimi enim illius civitatis viri ei adversabantur. Electo deinde in depulsi locum Landenulfo Laico & uxorem habente, Pandenulfi eorum Præfecti fratre, Papam rogarunt, ut eum consecrari curaret. At Leo Episcopus Teanensis & Bertharius Abbas Montis Cassinensis Romam profecti, ne id fieret, omnibus viribus contendebant, rogantes Pontificem ne consentiret; ex hac quippe Ordinatione illicita, si locum haberet, ingentes turbas Capuæ orituras, & esse timendum, ne fax discordiæ, Capuæ accensa,

U u 2

cenſa,

Sæculum IX.
A. C. 879.

ep. 125.

ep. 121.

Sæculum IX. A. C. 879. censa, Romam quoque corripere. Papa vero, quamvis his argumentis moveretur, nihilominus a malorum factione facti se sustinuit, & consensit, ut Landulfus, Neophytus, Episcopus consecraretur. Vix pauci dies exinde effluxerant, cum Saraceni, comperto, quod Capuæ seditio arderet, adsunt, & Regionem totam diripiunt. Tum Papa, intelligens, se errasse, postquam Episcopos ad consilium adhibuit, Landulfum revocat, & Episcopum veteris Capuæ consecrat, titulo Parochiæ Suricensis in illa civitate positæ, concedens, ut Landulfus in civitate nova Episcopus esset, Diœcesi inter ambos in æquales partes duas divisa. Cum postea Pandenulfus Capuæ Præfectus, Papæ Vassallus, rogasset, ut sibi Cajetam, illa tempestate soli Papæ subditam, submitteret, & Joannes Papa consensisset, ille cives Cajetanos tam dicere habuit, ut Docibilis eorum Præfectus ad Saracenos, Agropolim tenentes, conversus, ipsorum opem expetierit. Illi itinere maritimo solerter advecti, fundos usque adversum Lirim † navigant. Tum lembis descendentes, expilata regione vicina Cajetam veniunt, & prope Formias in collibus amœnissimis castrametantur. Tunc vero Papam poenitentia subiit, quod Pandenulfo potestatem fecisset in urbem Cajetam, tandemque conti-

ep. 248.

Chron. Cass.
6. 43.

† Garigliano

continuo hortatu & literis datis Docibili Sæculum IX.
 persuasit, pacta cum Saracenis abjicere, A. C. 879.
 & arma in ipsos convertere. Complures cives Cajetenses in hoc bello occisi, multi capti. Cum vero Saraceni fœdera iterum exoptarent, volentes remittere captivos, nullo accepto pretio, consensit Docibilis, ut Sedem ad Lirim sibi deligerent, ubi illi annis quadraginta commorantes illatis innumeris malis Christianos vexaverunt.

§. XII.

Concilium Constantinopolitanum falso dictum octavum.

Inter hæc cum Petrus Legatus, Presbyter Cardinalis, Constantinopolim pervenisset, Photius frequentissimam Synodum mense Novembri anno octingentesimo septuagesimo nono convocat, cujus Acta omnia necdum edita sunt; sed eruditus & rerum historicarum studiosus Dominus Baluzius accuratum exemplar manuscriptum Roma accepit, quod in locupletissima sua Bibliotheca servat. Unde ego, ipso benevole permittente, ad utilitatem publicam excerpti, quæ referam. Primæ Sessioni nulla dies appositæ est, & incipit in hæc verba: *Photius præsidens in magna aula secreta, assistente Elia Presbytero Legato Jerosolymitano, Metropolitæ præsentibus, videli-*

U u 3 cet.

Sæculum IX. *cet, Gregorio Ephesino, Joanne Hera-*
A. C. 879. *cleensi, & altero Joanne Heracleensi*
 (nempe duæ Ecclesiæ Metropolitanæ hu-
 jus nominis erant, altera in Thracia,
 altera in Ponto) *Gregorio Cyziceno,*
Gregorio Niceno, Daniele Ancyrano,
Theophylacto Sardensi, Georgio Nicome-
diensi, Marco Sideno, Zacharia Calce-
donensi. Sequuntur nomina ceterorum
 trecentorum octoginta trium, Episcopo-
 rum.

Silentio imperato, Petrus Diaconus
 & Protonotarius Ecclesiæ Constantino-
 politanæ dixit: *Petrus, Presbyter Car-*
dinalis, Sanctissimi Papæ Joannis Lega-
tus, & ipsius Collegæ nempe Paulus &
Eugenius adsunt; Petrus vero Cardina-
lis, qui nuper advenit, literas Papæ af-
fert. Photius dixit: *Benedictum sit No-*
men Domini, qui Papam nobis sanum &
incolumem præstat, intrent. Et post-
 quam ingressi fuissent, Photius pronun-
 ciata oratione iterum Deo gratias egit,
 responditque Concilium: *Amen.* Tum
 Petrum duosque alios Legatos ample-
 xus dixit: *Acceptus sit Domino Deo la-*
bor, quem suscepistis, benedicat & sancti-
ficet animas vestras & corpora vestra.
 Pand. Can. *acceptam habeat sollicitudinem Sanctissimi*
 Eccles. Gr. *Fratris nostri, Collegæ, & Patris (*) se-*
 cundus

(*) Patet Photium aliquam prærogativam
 supra

cundum Spiritum, Beatissimi Papæ Joan- Sæculum IX.
 nis! Tum postquam Legati, Papæ no- A. C. 879.
 mine, Photium salutassent, ille ait: Sin- Bevereg.to.
 cerissimo cordis affectu Sanctissimum Pa- 2.p.253.c.
 pam Oecumenicum (*) Joannem saluta-
 mus, U u 4 p.274.

supra se in Romano Pontifice agnovisse, & Com-
 munionem cum Ecclesia Romana omnibus viri-
 bus quævisse. Horrent Protestantes Libellum
 editum cum Titulo: Candide, ou l' Optimis-
 me, traduit de l' Allemand de Mr. le Docteur
 Ralph. 1759. quod dicat Auctor, hunc Mundum
 optimum esse non posse, quia mala innumera in
 eo reperiuntur. Si vero Mundus hic optimus
 est, etiamsi Deus plurima & abominanda mala
 permittat, quomodo ita dicti Fidei Reformato-
 res tempore Lutheri negare poterunt, Eccle-
 siam Romanam esse Optimam, licet abusibus fœ-
 datam, cum, maculis non obstantibus, in nulla
 alia, a JESU Christi ætate usque ad illos dies,
 veræ Ecclesiæ Notas & Signa, vel ipsi videre,
 vel aliis ostendere, valuerint?

(*) Cum hic Photius Joannem VIII. Papam
 Oecumenicum vocat, sequitur, Patriarchas Con-
 stantinopolitanos invidiosum Titulum nullate-
 nus in eo sensu usurpasse, quod illum sibi solis
 competere, aut Jurisdictionem in universam Ec-
 clesiam tribuere, crederent, bene autem soli
 convenire Romano Pontifici, quia eum, in illa
 utique etiam Ecclesia (nempe Constantinopoli-
 tana) Oecumenicum esse oportuit, in qua eun-
 dem Patriarcha Patrem suum spirituales appellat.
 labat.

Sæculum IX. *mus, & Deum oramus, ut nobis fructu*
 A. C. 879. *Sanctæ ejus orationis, & pretiosa Charitate frui concedatur. Iesus Christus, communis Magister noster, & verus Deus noster, ei sinceræ charitatis præmia retribuat.*

M. S. His communis humanitatis signis exhibitis Petrus Legatus dixit: *Papa tua Sanctitati misit Epistolam, unde curam paternam, qua Ecclesiam vestram complectitur, erga te vero amicitiam & fiduciam omnes Fideles cognoscerent. Photius respondit: Priusquam hæc literæ afferrentur, ex ipsis factis sciebamus, quo animo in nos esset Papa; misit enim bis ad nos Episcopos & Presbyteros, primo Paulum & Eugenium, & nunc etiam te, ut illos, qui rebelles sunt veritati, quaereretis, monita salutaria daretis, & Schismaticos ad unitatem revocaretis. Ita Photius callide in rem suam vertit Legationem Pauli & Eugenii, qui nequam ad ipsum, sed ad Ignatium missi fuerant. Cum deinde Petrus toti Concilio nomine Pontificis salutem dixisset, & paria respondissent Episcopi, Zacharias Episcopus Calcedonensis in hunc ferme modum peroravit: *Pacis in Ecclesia nostra perturbatæ causam, incredibilem quidem, veram tamen, referam. Furgiorum origo, sapientia viri Divini fuit, solida Sacrarum Scripturarum scientia,**

Sup. Lib. LII. §. 48.

† Photii

tia, & omnium artium humanarum Encyclopædia instructissimi. Ingenii elegantia, capacitas, & vis, qua prope supra humanæ naturæ conditionem extollitur, rursusque ejusdem viri lenitas & moderatio, in cunctos pravos affectus, quibus alii in transversum agi solent, imperium, charitas in pauperes, animi demissio, cujus specimina vestris oculis usurpatis, veniam adversariis concedendi prona voluntas, indoles ab omni cupiditate libera, zelus, quo Hæreticos, Infideles, totas Nationes ad Fidem convertit, denique virtutum omnium, quæ hominem ornare possunt, admirabilis societas, hæc omnia, hæc, inquam, in Sanctum nostrum Patriarcham, sicut olim in Jesum Christum in hac terra ambulanti, inimicorum invidiam excitarunt. Vir tantus e Throno suo pulsus talia sustinuit, quæ memorare animus perhorrescit; sed vicit Imperatoris nostri pietas obstacula omnia. Superfunt pauci in schismate perseverantes, qui Romanæ Sedis auctoritatem obtinent. Ad istorum pervicaciam frangendam & nos convocavit Imperator, & vos hic venistis. Etenim, ut nihil dissimulem, vestro & Ecclesiæ Romanæ bono hoc Concilium celebratur, quo a paucorum Schismaticorum calumniis vos vindicetis. Nam quod ad nos spectat,

U u 5 sint

Sæculum IX.

A. C. 879.

Sæculum IX. *sint Laudes optimo Deo, cum unanimes*
 A. C. 879. *mus, Concilio nobis opus non est. Au-*
 dite totius Concilii mentem.

Mox Concilium dixit: *Omnes Pa-*
triarcham nostrum sequimur. Aliqui
ab initio Pastorem suum tanto amore
prosequebantur, ut etiam pro ipso san-
guinem fundere parati fuerint. Alii
qui ab ipso recesserant, redierunt. Za-
charias subjunxit: Schismatici supra
Ecclesiam Romanam sapere volunt, em-
que suæ voluntati esse subjectam, De-
creta Nicolai, & Hadriani Papæ reci-
 Sessio prima. *jiciunt. His dictis, complures Episcopi*
 atque inter alios Elias Legatus Jerolo-
 lymitanus Deo Gratias pro concordia
 Ecclesiarum egerunt, & Petrus Cardi-
 nalis dixit, mandatum sibi a Papa, ut
 declararet, quod Photium deinceps ut
 Fratrem & ut propriam animam dilige-
 re vellet. Tum surgens tradidit illi do-
 na a Papa transmissa, videlicet, vestes
 Sacerdotales & præter alia, Pallium &
 Bever. p. 274 calceos. Porro Episcopis significanti-
 bus, cupere se ea inspicere, tres Papæ
 Legati, quæ attulerant, coram toto Con-
 cilio exponunt, exclamante Photio: *Je-*
sus Christus, Deus noster, qui tegit ca-
lum nubibus, qui nostram naturam in-
dutus est, ut eam repararet & sanaret,
protegat & custodiat in hac vita Fra-
trem

trem nostrum & Patrem Spiritualem, & in futuro Sæculo tribuat vestem nuptialem, qua dignus fiat in Sponsi cubiculum recipi. Sæculum IX.
A. C. 879.

Petrus Cardinalis deinde dixit: *Attulimus Photio Patriarchæ Epistolam, & conversus ad Episcopos: alterum vobis, tertiam Schismaticis. Illam, quæ ad te data est, hic in manibus nostris non habemus; sed diem præstitue, qua eam producamus.* Ergo dies indicitur, moxque Photius dixit, jam solvendam esse Sessionem, quia Legati longa mora fatigarentur. Nihilominus Petrus Cardinalis proclamavit: *Si qui Schismatici præsentibus sunt, prodeant.* Respondit Concilium: *Omnes in una sententia sumus, paucissimi repugnant Schismatici.* Tum Sessioni finis impositus acclamando: *Plurimos annos magnis Imperatoribus Basilio, Leoni, Alexandro! Eudociæ piissimæ Imperatrici annos plurimos! Stephano Porphyrogenito & Syncello! Hic erat Imperatoris filius natu minimus, cui Clericatus destinabatur. Photio & Joanni Sanctissimis Patriarchis vitam felicem & longam!* Notandum, quod prius Photio, quam Papæ, acclament.

M. S.

§. XIII.

Sessio secunda, Epistolæ Papæ corruptæ.

Sessio secunda die Martis decima septima

M. S.

ma

Sæculum IX. ma Novembris Indictione decima tertia
 A.C. 879.

anno octingentesimo septuagesimo nono
 in majore Ecclesia Constantinopolitana
 in parte dextra superioris porticus, qui
 Catechumenia dicebatur, celebrata. Po-
 sito in medio Evangelio, præfidente Pho-
 tio, & apud ipsum sedentibus tribus Le-
 gatis Romanis, Paulo, Eugenio & Petro,
 Elia Legato Jerosolymitano, Cosmo
 Presbytero & Apocriuario Alexandrino,
 Procopio Metropolita Cæsariensi, Gre-
 gorio Ephesino, ceterisque sicut in pri-
 ma Sessione, cum Photius preces sole-
 mnes pronunciaffet, & Romani latine
 cantassent, Petrus Cardinalis profatus
 est; quia vero latine loquebatur, Leo
 Protospatharius & Imperatori a secretis
 Interpretis vices subibat. Dixit ergo
 Petrus: *Cum Imperatores Legatos hinc
 Romam, atque etiam Patriarchæ Ale-
 xandriæ, Jerosolymæ & Antiochiæ mi-
 serint, rogantes, ut vestra Ecclesia pa-
 cem confirmaret, Epistolas in hunc finem
 attulimus, & petimus, ut præprimis E-
 pistola Papæ ad Imperatorem data lega-
 tur.* Hæc in Græcum translata, ab eo-
 dem Notario Leone lecta, atque Actis
 inserta est. Sed nimium quantum di-
 versa est ab autographo latino, cujus re-
 tuli Summam, ut in collectione Epistola-
 rum Joannis VIII. Papæ legitur. Quin
 & ipsi Græci diversitatem agnoscunt.
 In

Sup. n. 7.
 ep. 199.

In Græca versione nulla mentio obitus Sæculum IX.
 Ignatii Patriarchæ, & silentio præteritur, A. C. 879.
 quod Photius inconsulta Sacra Sede ite- Bevereg. p.
 rum Ministerio Sacerdotali fungi præ- 275. to. 8.
 sumserit. Contra, inducitur Papa ad Im- Conc. p. 1461
 peratorem dicens: *Egit Pietas tua, quod* to. 9. p. 135.
nos facturi eramus, cum, antequam ad-
venissent Legati nostri, Photium ad re-
cipiendum Patriarchæ munus compulisti;
nihilominus si quid deficiat, illud non ex
nostra auctoritate, quamvis possemus, ()*
sed ex Constitutionibus Apostolicis sup-
plemus. Tum citatur Concilium Nice-
 num, & reliqua, quæ in Epistola genui-
 na occurrunt. At iterum in Græco pre-
 mitur mandatum Papæ, quo Photius co-
 ram toto Concilio misericordiam flagi-
 tare jubebatur, & absolutio, quam Pa-
 pa concedebat, cujus loco multæ Pho-
 tii laudes inseruntur. Denique hæc E-
 pistola non tam translata quam ad Pho-
 tii nutum conficta dici meretur. Con-
 jectura est, id scientibus Legatis factum;
 quippe, cum depravatam Epistolam re-
 citari audirent, nec uno verbo reclamasse
 leguntur.

Hac qualicunque Epistola perlecta,
 Procopius Cæsariensis professus est, ni-
 hil

(*) Etiam ex isto loco, ut ut a Photianis
 corrupto, Summa Romani Pontificis potestas
 probatur.

Sæculum IX. hil esse, quod in ea carperet. Idem E-
 A. C. 879. lias Legatus Jerosolymitanus dixit, &
 17. Nov. Procopius iterum: *Pauci Schismatici,*
 M. S. *qui supersunt, ob subscriptionem, quam*
tradiderunt, prohibentur nobis accedere.

Acta Pseudo-
 Concilii
 VIII. cilium conversus ait: *An recipitis Pa-*
pæ Epistolam? Concilium respondit:
Omnia, quæ ad concordiam cum Pho-
tio & causam Ecclesiæ pertinent, re-
cipimus, quæ autem ad Imperatorem &
divisionem Provinciarum ipsius perti-
nent, non recipimus. Volebant dice-
 re, ut ex sequentibus dispiciemus, quod
 Jurisdictionem in Bulgariam Papæ com-
 petere non crederent.

to. 8. Conc.
 to. 9. p. 144.

Porro Petrus Diaconus & Protono-
 tarius Constantinopolitanus Epistolam
 Papæ ad Photium, etiam depravatam,
 Græce prælegit. In ea omittitur, quod
 Papa dicebat, oportuisse ipsum consule-
 re, priusquam in Sedem Constantino-
 politanam, etsi vacaret, rediret. Item
 deleta erat illa conditio, ut Photius co-
 ram tota frequentia veniam rogaret. Sed
 in ista Epistola illud solum affertur, quod
 Papa irritet & rejiciat Concilium contra
 Photium celebratum, quia ei Hadrianus
 Papa non subscripsisset. Illud quoque
 premitur, quod ad Jurisdictionem in Bul-
 gariam spectabat.

Post.

Postquam Epistola ista fuisset recitata, Petrus Cardinalis ex Photio quaesivit, an haberet, quod opponeret. Respondit, nihil se habere, & adjecit de Exulibus, quos ut revocari curaret, Pontifex per Legatos suos hortabatur, duos non plures Imperator misit in exilium, & nec istos quidem ob causas Ecclesiasticas. Nihilominus suppliciter rogamus, ut eos ad sua redire clementer indulgeat.

Tunc vero Petrus Cardinalis: *In mandatis habemus, Jurisdictionem in Bulgariam repetere*, responditque Photius: *Semper pacis amantissimi fuimus. Nul- lum Pallium in Bulgariam misimus, neminem ordinavimus, ex quo in Sedem nostram restituti fuimus, cum jam exinde annus tertius volvatur.* Videmus, quod Photius restitutum se crediderit, etiam priusquam Ignatius vita functus fuisset, cum eum Imperator ab exilio redire iussit. Addidit sermonem multis ambagibus involutum, quo tamen promittebat nihil. Tum Procopius Caesariensis: *Speramus, Deum maximum omnes mundi nationes Imperatori nostro subiecturum.* Tunc autem, *Ecclesiarum Metropolitanicarum limites, ut lubebit, constituet.* Eadem verba repetiit Concilium.

Petrus Cardinalis dixit: *Papa nos iussit inquirere, quomodo Photius Patriar-*

Sæculum IX.

A. C. 879.

M. S.

Sæculum IX. *triarcha ad Thronum suum redierit; non enim hoc ipsi ante adventum nostrum licuisse credit. Tum Elias Legatus Jerusalemitanus: Photium nunquam non pro suo Patriarcha habuerunt tres Patriarchæ Orientis, & omnes ferme Episcopi Clericique Constantinopolitani; quid ergo obstabat, quo minus Thronum suum denuo conscenderet? Addidit Concilium: Rediit Photius, consentientibus tribus Patriarchis, ab Imperatore rogatus, quin potius vi compulsus, & tota Ecclesia Constantinopolitana summis precibus ad expetente. Ergo si vobis credimus, ait Petrus Cardinalis, nemini vim intulit Photius? neminem afflixit, ut Tyrannus? tantum hoc abest, respondit Concilium, ut potius mansuete & tranquille omnia peracta. Petrus Cardinalis: Sit Nomen Domini benedictuum!*

§. XIV.

Apologia Photii.

Tunc vero Photius: *Deum testem invococo, quod Sedes Constantinopolitana nunquam mihi in desiderio fuerit. Et id plerique adstantium norunt. Prima vice tantum onus invitatus flens largitus, & ineluctabili imperio Principis tunc regnantis compulsus suscepi, postquam diu repugnassem, consentientibus vero Episcopis & Clericis, qui, me inscio, De-*

creto subscripserant. Tandem, ne fugæ ^{Sæculum IX.}
locus esset, custodia traditus sum. Hic A. C. 879.

Concilium loquentem interpellans dixit: Hæc omnes scimus, quod nempe ipsi vidimus, vel a testibus presentibus audivimus. Tunc rursus Photius: Deo permittente pulsus sum deinde de Sede mea. Nihil movi, nihil tentavi, quod in eam iterum eniterer. Non seditiones excitavi. Quietem dedi, Deo gratias agens, ejusque judicio me submittere. Non aures Imperatoris importunus fatigavi; tandem pristinam Dignitatem recuperandi nec spes, nec cupido mihi supererat. Sed cum Deus, miraculorum omnium Auctor, cor Imperatoris non propter me, sed propter populum suum movisset, ab exilio me revocavit. Nihilominus, Ignatio felicis memoria spirante, eo adduci non potui, ut Cathedram meam conscenderem, quamvis multi, ut facerem, hortarentur atque vehementissime instarent, & quamvis, quod maxime dolebam, Fratres mei exilium & duram persecutionem sustinere cogerentur. Acclamavit Concilium: Vera dicit! & iterum Photius: quin cum Ignatio pacem conservare omnibus, quibus potui, modis, conatus sum. In Palatio collocuti sumus, alter alterius pedibus advoluti, erratorum veniam mutuo dedimus & accepimus. Morbo correptus vocavit me, accessi sæpius, solatia

Hist. Eccles. Tom. XII. X x tan-

Seculum IX. *tanquam Fratvi dilectissimo suggesti.*
A. C. 879. *Complures sibi in vita carissimos moriturus meæ curæ commisit; feci, quod sincerum amicum oportebat. Postquam e vivis excessit, Imperator, an animus esset onus Episcopale iterum subeundi, primum secreto mihi collocutus exploravit, deinde Patriciis publice ad me missis, se id cupere significavit. Illi jussu Imperatoris adjecerunt, Episcopos consentire, & Clericos id exoptare; unde nihil superesset, quod omnium voluntati objicere possem. Tandem honor mihi obtigit, ut ipse Imperator ad me veniret. Cessi, ne Divinæ providentiæ resistere viderer, mutationem, prodigio similem, admirans. Concilium dixit: Res ita se habuit, ut refers.*

Bevereg.
p. 279.

Sup. Lib.
XXVI.
§. 8.

Petrus deinde Cardinalis dixit. Non ignoratis, quod Ecclesia Romana Flavianum Constantinopolitanum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum Jerosolymitanum & Polycronium e Sedibus suis pulsos restituerit, S. Gregorius vero DIALOGUS, postquam Episcopum Dalmatiae, a calumniatore impetitur, persecutus fuisset, Ecclesiae suæ reddiderit. Coniicere pronum est, hic Petro de causa S. Gregorii cum Maximo Salonensi sermonem esse. Tum prosequitur: Zachariam a Nicolao Papa depositum Hadrianus Papa in Sedem suam remisit, & qui

qui hodie Petri Cathedram tenet eundem Sæculum IX.
 Bibliothecæ præfecit; unde nec Nicolao A. C. 879.
 nec Hadriano inferior, Dispensatione, ubi Ecclesiæ emolumentum id poscere videtur, uti potest. Addidit plura alia, quibus Papam Photii amicitiam exoptare publice profitebatur, acclamante Concilio.

M.S.

§. XV.

Epistolæ Orientalium.

Ubi exaudiri potuerunt, Legati Pontificii petierunt, ut Epistolæ Patriarcharum Orientalium legerentur, & annuente Concilio, lecta est primo Epistola Michaelis Patriarchæ Alexandrini ad Imperatorem data, quam Cosmus Presbyter attulerat. Qui eam scripsit, in laudibus Imperatoris plurimus est; tum subjungit Elogium Cosmi, quem ab Imperatore Alexandriam missum, Michael Patriarcha datis literis ad eum iterum direxerat. Contra, hæc Epistola Josephum, qui anno octingentesimo septuagesimo Concilio interfuerat, omnibus diris devovet in hunc modum: *Ille se Archidiaconum Michaelis Patriarchæ Alexandrini mentitus est, qui eum anathematizavit.* Is fuit Antecessor illius, qui hanc Epistolam scripsit; alter enim ejusdem nominis successerat. Postea in hac Epistola legitur: *Ita etiam res se*

Sup. Lib.
LI. §. 41.

XX 2

ba-

Sæculum IX. *habuit, cum Elias, homo impius, Synce-*
A. C. 879. *lum Sergii Patriarchæ Jerosolymitani*
se finxit, qui domum reversus, lepra con-
tabuit. ()* Tum Michael Patriarcha,
 postquam Photium laudibus immodice
 celebrasset, dicit: *Quicumque cum Pho-*
tio non communicat, eumque Patriarcham
sine exceptione legitimum non recipit,
pars ejus sit cum Deicidis! Tandem, ro-
 gat Imperatorem, ut si ipsi aliquam Be-
 nedictionem, id est, elemosynam, trans-
 mitteret, eam Cosmi Presbyteri fidei
 committeret. Hac epistola perlecta
 Concilium dixit: Novimus, Ecclesias O-
 rientis nunquam Communionem Photii
 rejecisse. Tum etiam addidit, quod hanc
 epistolam recipiat.

17. Nov. Lecta deinde est epistola ejusdem Pa-
 triarchæ Alexandrini ad Photium data.
 Totus erat in laudibus Photii & Impera-
 toris, & sermone ad Photium directo
 dicebat: *Quandoquidem a Michaele An-*
tecessore nostro percepimus, quam præ-
clare de Ecclesia meritis fueris, recipi-
mus, & profitemur publice, te esse le-
gitimum Patriarcham Constantinopoli-
tanum.

(*) Obstupescendum, quanta Orientalium
 inconstantia fuerit. Hos Cave in Concilio VIII.
 homines misellos vocat; quasi vero in poste-
 riore hoc Concilio major fuisset illorum au-
 thoritas?

tanum. Idem nobiscum sentiunt Metro-
 politæ Vicini, quos ad Synodum convo-
 cavimus, prout conditio & fortuna no-
 stra miserabilis permisit, videlicet, Za-
 charias Thamiatensis, † Jacobus Baby-
 lonicus, Stephanus Thebanus, Theophi-
 lus Barenfis (vel forte Barcanus) &
 plures alii Episcopi. Vestram Commu-
 nionem amplectimur, omnibus, quicun-
 que eam non recipiunt, anathema dici-
 mus, Nomenque tuum Diptychis Sacris
 inseruimus nunquam delendum. Quod
 ad Eliam & Josephum spectat, qui ra-
 bie occupati olim tibi nocere ausi sunt,
 eos mors venia nec impetrata nec peti-
 ta in peccatis suis abstulit. Thomas
 vero Episcopus Berytensis, qui erat ter-
 tius, resipuit, atque ut videbis facta
 retractavit. Hinc ignovimus deprecanti,
 rogamusque, ut & tu veniam con-
 cedas. Ceterum accepimus dona tua, &
 si iterum aliquam Benedictionem nobis
 mittere volueris, placeat, eam Cosmo
 Presbytero deferendam dare. Huic e-
 pistolæ inserta erat retractatio Thomæ
 Berytensis, in qua veniam rogabat, quod
 in Concilio, anno octingentesimo sexa-
 gesimo nono celebrato, ab Elia & Jose-
 pho, ut ipse dicebat, seductus contra
 Photium stetisset. Istam quoque, sicut
 priorem Patriarchæ Alexandrini Episto-
 lam, Concilium approbavit. At, quid

Sæculum IX.
 A. C. 879.

† Tamianthie

Orientalium
 Inconstantia.

Sæculum IX. de Thoma retractante statuendum esset,
A. C. 879. Legati Papæ Concilii arbitrio relique-
 runt, quod rursus hanc causam ad Pho-
 tium tanquam ad Partem læsam remisit.
 Ille vero poscenti veniam ignovit.

Lectâ deinde est epistola, etiam Sy-
 nodica, Theodosii Patriarchæ Jerosoly-
 mitani ad Photium data, quam Andreas
 Presbyter & Monachus atque Elias Pres-
 byter & Stylites fratres attulerant. Ea-
 dem ferme continebat, quæ in epistola
 Patriarchæ Alexandrini lecta fuerant;
 nempe Photius legitimus Patriarcha
 Constantinopolitanus proclamabatur. Le-
 ctâ quoque similis epistola Patriarchæ
 Antiocheni, qui & ipse Theodosius vo-
 cabatur, ad Photium data. Dicit, quod,
 referente Cosmo Abbate, optatissimum
 nuncium de Photio restituto accepisset,
 & subjungit: *Gravis persecutio nobis
 sustinenda fuit ab Ebintaeloum, qui nos
 dire vexavit. Cumque Thomas Metro-
 politanus Tyro ad nos advenisset ad sola-
 tium suggerendum, veniam a nobis & a
 Michaele Patriarcha Alexandrino petiit.*
 Nempe Thomas ab Ecclesia Berytensi ad
 Archiepiscopatum Tyriensem translatus
 fuerat. Ceterum qui hic *Ebintaeloum*
 vocatur, Achmet fuerit de *Tulun*, qui
 circa illud tempus in Ægypto & Syria
 copiis præerat. Lecta præterea est epi-
 stola Abrahami, Metropolitanæ Amidæ &
 Samo-

*Sup. Lib.
 LI. §. 3.*

Samofatæ in Armenia ad Photium data. **Sæculum IX.**
 Gratulabatur ei reditum, & addebat: A. C. 879.

Cosmus Abbas reddidit mihi epistolas Patris nostri Theodosii Patriarchæ Antiocheni, & Michaelis Abbatis Papæ Alexandrini. In illis mentio fiebat Thomæ Archiepiscopi Tyriensis, Eliæ, & Josephi, qui se ipsum, quod non erat, mentitus a Deo sicut & Elias, quod merebatur, recepit. Archiepiscopus vero Tyriensis culpam suam coram Patriarchis confessus est. Tum Abrahamus in illa epistola dicit, se Photium recipere, & quemcumque eum non recipientem omnibus diris devovet. Illud quoque Photio perscribit, fatis functum esse Patriarcham Jerosolymitanum, eique Eliam Damascenum successisse. Nempe Theodosius obierat, cujus epistola modo lecta fuerat; unde conjicere est, ob hanc causam Abrahamum Photio scripsisse. His perlectis Concilium Deo Gratias egit, & solitis acclamationibus Sessioni finis impositus.

19. Nov.

§. XVI.

Sessio tertia.

Elapso biduo celebratur Sessio tertia, nempe die Jovis decima nona Novembris, præsidente Photio, & omnibus reliquis sicut in Conventu præcedente sedentibus. Petro Cardinale petente, ut

ep. 209.

X x 4

lege-

Sæculum IX. legeretur epistola Papæ ad Episcopos Ecclesiæ Constantinopolitanæ subjectos, ceterosque Patriarchas data, legit eam Petrus Diaconus & Protonotarius, sicut epistolæ priores, corruptam, in illo praesertim loco, ubi dicebatur, Photio petendam esse misericordiam coram Concilio, quibus alia verba subrogaverant, nempe, ut non gravaretur coram Concilio profiteri, se lenitate & misericordia Ecclesiæ Romanæ (*) recipi. Ubi lecta fuit epistola, edixit Concilium, se eam recipere, illis exceptis, quæ ad Imperatorem (videlicet ad Jurisdictionem in Bulgariam) pertinerent. Procopius Cæsariensis de iis, quæ ad promotionem Laicorum ad Sacerdotium pertinent, disseruit, Concilii Sardicensis auctoritatem adducens. Tum Zacharias Calcedonensis de eadem causa verba fecit, inter alia dicens: *Sæpe consuetudo contra legem pugnat, cum Laici ad Sacerdotium elevandi sunt. Quod ex Concilio Oecumenici secundi non tam dictis quam factis eruo; namque Neclarium, illis diebus baptizatum, Patriarcham elegit. Habetis hujus rei exempla in magno Ambrosio, in Ephrem Antiocheno, Eusebio Cæsa-*

Bevereg.
281.

(*) Iterum ex his verbis Epistolæ corruptæ satis probatur, & Photium, & Sedem Constantinopolitanam Romanæ fuisse subjectam.

Cæsariensi, & tot aliis, quorum numerus iniri haud facile possit. Refert etiam locum alicujus epistolæ S. Basilii ad Amphilochem, atque ut ostendat, hos Canones ad Photium proprie non pertinere, dicit, virum fuisse negotiis sæcularibus nunquam implicitum, sed literarum studiosissimum, cujus Pater & Mater pro Religione multa sustinuisserant, atque ipsum in Armenia & Mesopotamia plurimos homines ab errore revocasse; quin, complures Barbarorum nationes ad fidem convertisse.

Sæculum IX.

A. C 879.

Lecta deinde epistola Synodica Theodosii Patriarchæ Jerosolymitani defuncti ad Imperatorem data. In ea & ipse sicut ceteri ærumnas suas generatim exponerebat, & opem flagitabat. Photium recipiebat, addens: *Synodice congregati statuimus, & omnibus tanquam Canonem perpetuum & inconcussum promulgamus; Si quis lubenti animo non recipiat Sanctum & illustrem Fratrem nostrum Photium civitatis Imperialis Patriarcham, & cum ipso Sacra Mysteria non celebret, Anathema sit, atque auctoritate Thronorum Apostolicorum depositus.* (*) Perlecta epistola Concilium di-

Bevereg.

p. 281.

Xx 5 xit:

(*) Quam leviter damnant, quod probaverant! sed, Romanorum exemplum præ oculis habebant.

Sæculum IX. xit: *Recipimus, quæ Synodice a Sanctiss.*
A. C. 879. *mo Patriarcha Theodosio acta sunt, &*
contrarium sentientibus Anathema dici-

M. S.

mus. Tum Papæ Legatis quærentibus, quando hæc Epistola allata fuisset, Elias Legatus Jerosolymitanus dixit: Theodosius Patriarcha eam in Synodo me præsentate scripsit, eamque deinde, commodam occasionem nactus, Andrea Monacho fratri meo, non tantum suo, sed etiam Patriarchæ Antiocheni, qui id fatetur, nomine, deferendam dedit.

*Petrus Cardinalis dixit: Scimus quidem, omnes Patriarchas Papæ consentire, sed tamen hos Legatos ad examen vocandos existimamus, quia priores, a Saracenis ad redimendos captivos missi, Legatos Patriarcharum se esse dixerunt. Paulus & Eugenius Legati Papæ adjece-
 runt: Novimus Andream, & per aliquot dies cum ipso versati, examinavimus ejus fidem, cujus Confessionem scriptam nobis tradidit. Dixitque Photius: Vetera jam oblivioni danda sunt. Solus hoc peccatus persecutioni objicere paratus eram, quo ceteri omnes liberarentur, & gratum Infidelibus spectaculum non præberetur. Sed verba perdidit. Nunc vero omnia oblivione sepeliantur. Elias Legatus dixit: Testis est mihi Deus, quod nunquam Photium Patriarcham antea vidi, nunquam locutus fui, nunquam episto-*

epistolas accepi; sed ob Ecclesie emolu-
 mentum, Viri merita, persecutionem, Sæculum IX.
A. C. 879.
 quam innocens sustinuit, & ad damnan-
 dos illos impios falsosque Legatos ad-
 veni.

Legati Paulus & Eugenius dixerunt: *Ap. Leon.*
 Nec præjudiciis, nec proprii commodi *Allat. de 8.*
 amore turbati agimus. Et Petrus Car- *Syn. Phot.*
 dinalis ad Photium: *Doctrinam Evan-*
 gelii factis imple, non quæro gloriam *p. 221.*
 meam; est qui quærat, & judicet. Et *Joan. 8. 50.*
 jam tempus veritatem occultam revela-
 vit: Sed, si videtur Concilio, legantur
 Mandata, quæ a Joanne Papa accepimus,
 & quibus omnes Episcopi nostri subscri-
 pserunt. Respondit Concilium: *Legan-*
 tur. Ergo surgens Petrus Cardinalis
 ea a Leone Interprete Græce recitari
 jussit, qualia superius retuli. Lecto ar- *Sup. n. 8.*
 ticulo decimo, in quo Concilia contra
 Photium celebrata abrogabantur, Con-
 cilium dixit: *Abrogavimus, rejecimus,*
 & *anathematizavimus ipsis factis illum*
Conventum, qui Concilium dicebatur,
cum Sanctissimum Patriarcham Photium *Pseudo-Sy-*
recepimus, & illis jam qui illum Conven- *nodus VIII.*
tum non rejiciunt, anathema dicimus.
 (hic de Concilio Constantinopolitano
 anni octingentesimi sexagesimi noni ipsis
 sermo est) Elias Metropolita Martyro-
 politanus, & Elias Legatus Jerosolymi-
 tanus dixerunt: *Et quomodo Concilium*
vocari

Sæculum IX.
A. C. 879. *vocari possit Conventus, qui totam Ecclesiam schismate turbavit? in quo a Sarcenis missi sederunt, ut Judices? in quotalia sunt acta, quæ omnibus Conciliis ad-versantur? qui innocentes inauditos damnavit? omnesque Leges tam Ecclesiasticas quam Civiles violavit? unde Ecclesia Orientis ista acta pronunciarunt nulla, & anathemate percusserunt.*

Perlectis Mandatis Concilium dixit: *Videmus, quod mandatis Papæ accurati obsecuti sitis. Tantus Pontifex optimis Legatis dignus erat. Et Nicetas Metropolitæ Smyrnenfis ad Legatos: Rebus in eum modum constitutis ad nos venistis, ut si quis Dei Ordinationi & mandatis Papæ resistere auderet, ne quidem legitimæ causæ speciem posset obtinere. Responderunt Legati Papæ: Dicit Prophetæ: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis. Ideo venimus, ut voluntatem Dei & Papæ impleverimus. Concilium dixit: *Perspectum habemus, quod impletis. Tum Photius: Hæc fuit voluntas Dei, qui de Cælo descendit, & nostram naturam assumpsit, ut Genus humanum Patri suo reconciliaret. Videtis, omnia Papæ voluntati fieri consentanea, & neminem obfistere. Legati: Officii nostri fuit per labores & certamina Ecclesiæ vestræ conjungi. Ideo tot ærumnas itinere sustinimus. Attamen, labores**

Jerem. I. 7.

Et ærumnas ferendo Sancti Jesu Christi gratiam meruerunt. Photius: Hinc Sæculum IX.
A. C. 879.

Jesus Christus magnam mercedem vobis in regno suo præparavit. Cumque Cardinalis Petrus dixisset: En adsunt subscripta nomina Episcoporum; unde liqueat, quam unanimes Sanctissimum Patriarcham Photium cum tota Ecclesia Romana receperint. Igitur leguntur nomina in infima parte mandatorum subscripta. Tum Petro Cardinale quærente, an hæc probarentur Concilio, & Concilio respondente, omnia sibi, præsertim subscripta nomina probari, more solito acclamatum, atque soluta Sessio.

§. XVII.

Sessio quarta.

Sessio quarta, Feria quinta, vigesima quarta Decembris in Vigilia Nativitatis Domini, in magna aula, sicut prima Sessio, celebrata. Petrus Diaconus & Protonotarius dixit: *Metropolita Martyropolitanus modo advenit, missus a Patriarcha Antiocheno, a quo Legationem suscepit. Literas quoque Patriarchæ Jerusalemæ affert, & stat ad portam. Is Basilius (*) vocabatur, & intrare jussus* Bevereg. p.
282. 293.
24. Dec.
M. S.
dixit,

(*) In Paragrapho præcedente aliquis Metropolita Martyropolitanus loquens inducitur,
Elias

Sæculum IX. A. C. 879. dixit, afferre se epistolas Theodosii Patriarchæ Antiocheni, & Eliæ Patriarchæ Jerosolymitani, nuper electi, adjiciens, neutrum conscium fuisse eorum omnium, quæ contra Photium acta fuissent. Lecta est epistola Patriarchæ Antiocheni ad Photium, summatim eadem, quæ in prioribus audivimus, continens. Præter alia damnantur Thomas Berytensis, & Elias, qui falsi Legati dicuntur. Hac epistola a Concilio approbata, lecta est epistola novi Patriarchæ Jerosolymitani ad Photium data, cujus itidem eadem erat Summa; & quam approbans Concilium addidit: *Non ignorabamus, Sedes Orientis semper Pbotium recepisse.* Tum Elias Legatus Jerosolymitanus: *Tanta concordia cælesti donum est. Etiam Saraceni ad Pbotium miserunt, alii petentes doceri, alii baptizari, & cupientes Imperatori subjici.*

Petrus Cardinalis dixit: *Duo Patricii, qui a Communione Pbotii recesserant, hodie redierunt. Petunt vero veniam, dicentes expectare se reditum nostrum, & velle Auctoritatem Ecclesiæ (*)*
Roma-

Elias nomine, & hic vocatur Basilus superveniens. Non capio, nisi forte in superiore §. sit error Typi.

(*) Ex istorum Patriciorum testimonio iterum

Romanæ sequi. Concilium respondit: Sæculum IX. Novimus, & recipimus eos. Non aliam A. C. 879. culpæ obtendebant speciem, prout ex ipso Bevereg. rum ore accepimus, quam quod a falsis p. 283. Legatis & quibusdam aliis decepti subscripserunt. In qualibet alia causa, in- quiebant, absolutio, quam nobis Patriar- cha dedisset, suffecisset, sed quia in pro- pria ipsius causa subscripsimus, ab alia Sede absolvi petimus. Nullius alterius delicti nobis conscius sumus. Cum igitur nos absolvatis, Communionem vestram recipimus maximo lætitiæ sensu, eosque, qui non recipiunt, rejicimus. Unde eos, subjungit Concilium, ut filios nostros, & membra nostra propria recipimus.

§. XVIII.

Articuli Reconciliationis.

Legati Papæ postea quæsierunt, an Concilium in omnibus Articulis in *M.S.* epistola Pontificis ad Imperatorem pro- positis consentiret; tum quinque enu- merant, quorum primus ad res Bulgariæ pertinet. Ad eum respondit Concilium: *Allat.p.238.* *Diximus vobis, & iterum dicimus; non istud hic agimus, ut provinciis limites ponamus. Hac quæstio aliud tempus po- scit.*

rum clare probatur; cujusnam Ecclesiæ, etiam in hac Pseudo-Synodo, præcipua fuerit aucto- ritas.

Sæculum IX. *scit.* Nihilominus preces nostras precibus vestris jungemus apud Imperatorem,

A.C. 879. *Et quod, Deo inspirante, sua auctoritate decreverit salvis Canonibus approbamus, & demum acquiescemus.* Articulus secundus circa Ordinationem Laicorum versabatur. Ad quem Basilius Metropolitā Martyropolitānus, & Legatus Antiochenus, Elias Legatus Jerosolymitanus, & Cosmus Legatus Alexandrinus dixerunt: *Istud contra Leges Ecclesiæ non pugnat. Alexandria, Antiochia, & Jerosolymæ cujuscunque conditionis vir sive ex populo sive ex Clericis, si sit virtute insignis, sine hæsitatione ad Episcopatum evebitur. (*) Non enim pro solis Clericis JESUS Christus in terram descendit, nec iis solis, sed omnibus Christianis, virtutis præmia præparavit. Si Regula vestra approbaretur & reciperetur, inde omnium Cathedrarum Episcopaliū ultima calamitas & ruina sequeretur. Quippe plerique Episcopi, qui inter nos vel pietatis vel Doctrinæ laude maxime floruerunt, ex Laicis vocati fuerunt. Huic igitur Regulæ stabiliendæ assensum nostrum præbere non possumus, ne Præsules nostros damnare videamur.* Concilium dixit: *Cuilibet Sedi suæ sunt*

p. 239.

(*) Admodum inepte ad rem argutantur Orientales.

consuetudines, de quibus disceptare nullum ^{Sæculum IX.} affert emolumentum. Servet suos mores A. C. 879.
 Ecclesia Romana, & prudenter. Sed etiam servet Ecclesia Constantinopolitana sua Instituta, a suis Majoribus recepta, & sibi propria. Sic etiam Ecclesie Orientales. Si ergo Ecclesia Romana nunquam Laicos ad Episcopatus fastigium admisit, servet Institutum suum; æquum enim est Patrum limites non transilire. Quia vero nec Orientales, nec Ecclesia Constantinopolitana hunc morem servarunt, quamvis omnino optandum esset, ut semper in Clericis viros Episcopatu dignos reperire possemus, nihilominus si non adsint, & in Laicis ad tantum onus magis idonei existant, minus digni exclusis dignioribus eligendi non sunt.

In Articulo tertio statuebatur, ne Patriarcha Constantinopolitanus ex alia Ecclesia advocaretur, sed ex Cardinalibus Presbyteris & Diaconis ejusdem Ecclesie eligeretur. Ad quod Concilium dixit: *Hæc res in priore Articulo comprehendebatur, faxit Deus, ut Ecclesia Constantinopolitana felicia adeo semper agat tempora, quibus Presbyteros & Diaconos habeat, in toto Romano Imperio præstantissimos, unde assumantur viri prima (*) Sede digni; si vero in hac Ecclesia,*

Allat. p. 242.

(*) Eho! primæ Sedi. Quin Sedes Constantin.
 Hist. Ecclesiast. Tom. XII. Y y stan-

Sæculum IX. *ſia, & iſto tempore, tanto oneri parem*
A. C. 879. *invenire non ſit, in tota Eccleſia quaerendus eſt, qui præeſſe poſſit.*

In quarto Articulo Concilia, Hadriano Papa ſedente, contra Photium Romæ & Conſtantinopoli celebrata, damnantur. Hic Baſilius Legatus Antiochenus dixit: *Dudum Sanctiſſimus Papa Michael Alexandrinus cum ſuis Epiſcopis omnia, quæ contra Sanctiſſimum Patriarcham Photium acta ſunt, omnesque illos, qui hæc Acta recipiunt, damnavit & anathematizavit. Theodoſius quoque, Patriarcha meus damnat & anathematizat. Tum Coſmus Legatus Alexandrinus dixit: Papa Alexandrinus in Epiſtolis ſuis mentem ſuam ſincere aperuit; nimirum hæc Acta, & recipientes illa, diviſ omnibus tradit. Elias Legatus Jeruſolymitanus dixit: Anathema dico illis, qui Photium, legitimum Patriarcham, non recipiunt, ſicut eos olim S. Patriarcha Jeruſolymitanus Theodoſius anathematizavit, & hodie Elias ejuſdem Succellor anathematizat. Rejicio pariter omnia antehæc contra ipſum acta, imprimis illa, in quibus Saracenorum Miſſi ſederunt ut*
Julia

ſtantinopolitana nec prima, nec ſecunda, nec tertia de Jure erat, quia ne quidem Apoſtolica, ſed Titulus Patriarchalis cum Jurisdictione arrogata denique tolerari debebat.

Judices. Concilium acclamavit: *Om-* Sæculum IX.
nibus nobis eadem mens est. Id profite- A. C. 880.
mur, & plaudimus. Hic articulus in
Epistola Joannis Papæ nobis præ ceteris
gratus est; nam priusquam ipse præcepis-
set, omnia contra Photium dicta scri-
ptave damnaveramus, eidem inviolabili
animorum nexu inhærentes. In Artic- M. S.
ulo quinto excommunicabantur Schisma-
tici, nempe illi, qui Photium recipere Bevereg.
nolebant. Quæ excommunicatio in hoc p. 283.
Concilio facile confirmata.

Sub finem Sessionis Petrus Cardina- *Id. p. 294.*
lis dixit: Cum per Dei gratiam jam om-
ne scandalum sit sublatum, veritas post
examen magis elucescat, atque pax &
concordia Ecclesiæ redierit, quia Officiû
Divini hora instat, si vobis videtur, ea-
mus & cum Photio Patriarcha celebre-
mus. Concilium respondit: Optima
propositio, & Deo grata. Fiat, quod
dicis, conservet Deus Sanctum Magistrum
nostrum, & pro Salute Ecclesiæ suæ, an-
nos vitæ plurimos adjiciat.

§. XIX.

Sessio quinta.

Sessio quinta anno sequente octingen-
tesimo octogesimo die Martis vigesi-
ma sexta Januarii in porticu editiore ad
dextram majoris Ecclesiæ celebrata, præ-
sidente Photio cum tribus Papæ & tribus
 Y y 2 Eccle-

ibid.

Sæculum IX. Ecclesiarum Orientalium Legatis. Is
A.C. 880.

26. Jan.

profatus dixit: *Concilium Oecumenicum Nicenum secundum sub Hadriano Papa & Tarasio Patriarcha celebratum Ecclesia nostra ut Concilium septimum habet, & ceteris sex æquiparat. Ecclesia Romana & tres Sedes Orientales nobiscum hujus Concilii Decreta recipiunt. Sed forsan adhucdum sunt, qui dubitent, an Conciliorum Oecumenicorum numero accensendum sit. Id enim ferunt, & usque in hanc diem non satis veritatem cognovimus. Nunc igitur, Fratres mei, si vobis videtur, simul omnes decernamus, Concilium Nicenum, Oecumenicum septimum, habendum esse, atque ceteris sex Conciliis æquale.*

p. 295.

Petrus Cardinalis respondit: *Monitum ergo te volumus, quod Sancta Ecclesia Romana, cum omnibus ceteris consentiens, nunquam non Decreta illius Concilii sub Hadriano Papa, & Tarasio Patriarcha in causa Sanctarum Imaginum celebrati receperit, hodieque Concilium septimum vocet, & parem auctoritatem ac in sex aliis in eo esse existimet. Quicumque illud non recipit, Anathema sit!* Concilium dixit: *Postquam Ecclesia Romana iterum conjuncti sumus, cujus rei auctor Photius Patriarcha fuit, nos in hac quoque causa consentire oportet. Itaque quicumque secundum Concilium Nicenum,*

num, septimum Oecumenicum non recipit, anathema sit! Eundem anathematissimum Eugenius primus Legatorum Pontificiorum, Basilius Legatus Antiochenus, & Elias Legatus Jerosolymitanus pronunciarunt.

Legati Papæ deinde dixerunt: Rogamus, ut aliqui se conferant ad Metrophanem & dicant: *Concilium vocat te, Legatorum nomine, ad explorandam mentem tuam, de reducenda Ecclesiæ pace.*

Erat is Metropolita Smyrnensis, præcipuus Photii Adversarius, cui præter duos alios Papa scripserat.

Concilium igitur ad Metrophanem misit Basilium Episcopum Cretensem, Nicetam Metropolitam Smyrnensem, quem Photius Metrophani subrogaverat, & Gregorium Archiepiscopum Pergensem. Cumque in ejus conspectum pervenissent, Legati Romani & Concilium, inquit, nostro ministerio te interrogant, quid sentias, & cur ab Ecclesia discedas. Mibi, respondet Metrophanes, graviter ægrotanti vix supersunt loquendi vires. Dicam tamen brevissime, cur a vobis discedam. Ipse venissem, causam dicturus, ut æquum est, verum, ita nos Deus amet, pessime mihi est. Nec ingredi, nec coram vobis stare valeo. Hinc rogo vos, si fieri possit, differte quæstionem, donec mor-

Metrophanes Smyrnensis.

Sæculum IX.
A.C 880.

v.to.8. Conc.
p. 1386.
Ep. 202.

Sæculum IX. *bo utcunque levatus fuero. Tunc causam defendam.*
 A. C. 880.

p. 296.

Hoc Metrophanis responso ad Concilium relato Legati Romani dixerunt: *Ut obsequeremur mandatis a Papa acceptis non semel modo, sed ter quaterque huic viro suavisimus, errorem dimittere & ad Ecclesiæ sinum redire. Hodie vero valetudinem simulat, ob quam non impeditur longum sermonem texere, in quo nihil dicit, sed prohiberi se putat unam vocem proferre, ipsi maxime salutarem, videlicet; redeo ad Ecclesiam, quod Papa jubet. Quare, secundum Canones Metrophanem ab omni Communione Ecclesiastica ejicimus, donec penitens ad Pastorem suum redeat. Notum enim sit vobis, quod Joannes Papa illam potestatem ligandi & solvendi, quam a S. Petro accepit, Photio Patriarchæ communicaverit, qua nobis absentibus Metrophanem damnare possit. Tumque Photius ad Legatos: Vos, Patres nostros, Legatos Papæ, sicut ipsum Papam Patrem nostrum Spiritualem, amplectimur. (*)*

p. 284.

p. 296.

Adje-

(*) Ad quem alium Episcopum vel Patriarcham Photius ita locutus est, sicut hic ad Romanum Pontificem? vel quis alius Episcopus præter Romanum Papam ita ad Photium loquutus fuisset? Unde Caveus aliique Protestantes, qui

Adjecerunt Legati: *Jussit Pontifex, quod Sæculum IX. jam prius declaravimus, ut Photius ex-* A. C. 880.
communicatos habeat, quos Joannes Pa-
pa excommunicavit, & contra, Joannem
Papam pro depositis habiturum, quoscun-
que Photius deposuisset. Si vobis videā-
tur, hac de re Canonem condemus.

§. XX.

C a n o n e s.

Concilium dixit: *Conscribatur Canon.*
 Quo conscripto, Petrus Diaconus &
 Protonotarius eum recitavit in hæc ver-
 ba: *Primus Canon. Sancta Synodo Oecu-*
menica jubente, Laicos, Clericos, aut E-
piscopos Italiae, in Asia, Europa, aut A-
frica existentes, a Joanne Papa depositos,
excommunicatos, vel anathematizatos,
Photius Patriarcha tanquam iisdem Cen-
suris innodatos habeat, & etiam quoscun-
que Photius Patriarcha excommunicave-
rit, deposuerit, aut anathematizaverit,
in quacunque Diœcesi existant, Joannes
Papa, & Romana Ecclesia, tanquam ana-
themate percussos censeat, salvis Sacrae
Romanæ Sedis Prærogativis. Tum Le-
 Y y 4 gatis

qui Photii repugnantia contra Summum Ponti-
 ficem mire delectantur, ex ipsius Photii confes-
 sione refelluntur. At, corrupta sunt hæc acta.
 Non ego, sed in nullum alium facinoris suspicio,
 quam in ipsum Photium cadit.

Sæculum IX.
A. C. 880.

gatis interrogantibus, an Canon lectus approbaretur, & respondente Concilio, quod omnino reciperetur, Elias Legatus Orientis iterum dixit, hunc Canonem sibi probari. Adjecit Basilius Legatus Antiochenus: *Episcopi nostri Photio, ex quo Episcopus est, indissolubili vinculo nexi, cum nos ad eum mitterent, jussurunt ei liberam potestatem dare, qua, prout luberet, quoscunque ab Ecclesia discedentes, puniret, auctoritate sibi a Sedibus Orientis & Romana collata. Quod ubi Legati Papæ audierunt, dixerunt: Benedictus Deus, qui omnes Patriarchas unius voluntatis effecit.*

Concilium his addidit: *Si Ecclesia refractarii, soluto deinde Concilio, a Matre penitentes se recipi rogaverint, quid de his fieri jubetis?* Legati Papæ responderunt: *Diximus jam vobis, Joannem Papam Photio Patriarchæ potestatem (*) concessisse, illos recipiendi, qui redituri sunt, & contumaces excommunicandi.* Sed jam ad Metrophanem mittendi sunt, qui Responsum nostrum, & Censuram, qua eum perstrinximus, significant. Tum mittuntur Joannes Metropolita Heracleensis, Daniel Ancyranus, & Georgius Nico-

p. 297.

(*) Ex hac interrogatione & responsione iterum suprema Romani Pontificis in Photium potestas elucet.

Nicomediensis. Metrophanes vero, si-
cut nuper, morbum obtendens, adjecit, Sæculum IX.
A. C. 880.
si vellent tres Delegati Episcopi ad pri-
vatum colloquium se invisere, animi sui
sensâ iis explicaturum.

Quo responso ad Concilium relato
& perlecto, Legati Papæ dixerunt: *Tan-
ta vis morbi plane non est, ut loco tot
verborum unicum illud; volo Ecclesiæ
reconciliari, pronunciare non potuisset.*
*Unde ista tergiversatione Censuram neu-
tiquam effugiet.* Subjunxerunt; Pho-
tium a Papa (*) liberam potestatem Me-
trophanem, etiam ipsis absentibus, con-
demnandi accepisse.

Photius dixit: *Quid vobis de illis sta-
tuendum videtur, qui dimisso Episcopa-
tu Institutum Monasticum amplectun-
tur, an Ministerium Episcopale repete-
re possunt?* Responderunt Legati: *Hoc
iis in Ecclesia nostra non conceditur. Sed
si Episcopus ad Monachorum (id est, Pœ-
nitentium) ordinem se demittat, tali ad
Officium Episcopale denuo obeundum via
præcluditur.* Legati Orientis Basilus
& Elias addiderunt: *Apud nos quoque
id aliquando factum, memoria non est.
Monachi sæpe ad Dignitatem Episcopa-
lem evebuntur, sed Episcopus, si Mona-*
cbum

Y y 5

(*) Iterum notentur verba: Photium a
Papa potestatem accepisse.

Sæculum IX. *cbum induat, Episcopus esse non amplius*
A. C. 880. *potest. Tum dicente Concilio: Ede-*
ndus est hac de re Canon, quia multæ in
nostra Ecclesia lites ex hac causa oriun-
tur, Legati consenserunt.

Concilium deinde dixit: *Rogamus*
vos, ut etiam Canon edatur ad reprimen-
dos Laicos, qui usque adeo insolescunt
& furunt, ut Episcopos vel Presbyteros
ferire vel in carcerem mittere audeant.
Quamvis enim hæc raro fiant, ante pau-
cos tamen annos id evenisse scimus. Li-
berius temerarii in tantum scelus ruunt,
 p. 298. *ubi nulla legibus statuta est pœna. Tum*
consentientibus Legatis Orientis extem-
plo conscripti sunt duo Canones, quos
Photius recitari iussit, in hunc modum:
Canon secundus. Quamvis hucusque non
nulli Episcopi tolerati fuerint, qui post-
quam ad ordinem Monachorum descen-
dissent, rursus ad Dignitatis Episcopi-
lis apicem reiecti sunt, nunc tamen Con-
cilium hunc abusum emendavit, & de-
crevit, Episcopum, si ad vitam Mona-
sticam transierit, ad obeundum rursus
Ministerium Sacerdotale redire non debe-
re. Quippe Monachorum est discere &
subjici, non vero docere aut regere. Ca-
non tertius. Si quis Laicus contemptis
Legibus Cæsareis & Regulis Ecclesiasti-
cis Episcopum, vel sine causa, vel sub
quocunque prætextu percutere aut in car-
cerem

cerem detrudere ausu temerario præsum- Sæculum IX.
 pserit, Anathema sit! repetiit Concilium: A. C. 880.
 Anathema sit.

§. XXI.

Subscribitur.

Tandem Photio interrogante, an quid-
 quam in Concilio agendum restaret,
 Legati Papæ dixerunt: *Mementote, quod* p. 299.
*ex Mandatis nostris, vobis prælectis, ap-
 pareat, omnes Episcopos Concilio Romano
 ad recipiendum Photium, & Acta ipsi
 adversantia rescindenda, celebrato sub-
 scripisse. Unde rogamus, ut & vos bo-
 die omnes subscribatis. Si vero ad buc-
 dum Schismatici occulti dentur, Photius
 vel pœnitentes recipiat, vel obstinatos ca-
 stiget.*

Cum igitur ad ista Photius & Legati
 Orientis humanissima respondissent, Le-
 gati Papæ accepta membrana, in qua A-
 cta Concilii erant exarata, subscripse-
 runt; moxque subscriptiones in hunc
 modum recitantur: *Paulus Episcopus
 Anconitanus, Sacræ Sedis & Joannis
 Papæ in hoc Concilio Oecumenico Lega-
 tus, ex Papæ mandato, Ecclesia Constan-
 tinopolitana, Legatis Orientis, & toto* 8. Martii.
*Concilio consentientibus, Reverendissi-
 mum Photium, Legitimum Patriarcham
 recipio, & cum ipso communico. Con-
 ciliium vero contra ipsum Constantinopoli
 convo-*

Sæculum IX. convocatum, & omnia contra ipsum tem-
A. C. 880. pore Hadriani Papæ acta rejicio & ana-
 thematizo. Si aliqui Schismatici nec-
 dum ad Photium Pastorem suum redeunt,
 excommunicati sint, usque dum ad ejus
 Communionem revertantur. Præterea
 secundum Concilium Nicenum, in quo
 de Sacris Imaginibus agebatur, recipio,
 Concilium Oecumenicum septimum ap-
 pello, & sex aliis æquale credo.

Postquam Eugenius Episcopus O-
 stiensis, & Petrus Cardinalis simili mo-
 do subscripsissent, & subscriptio publice
 fuisset recitata, Concilium dixit: *Bene-
 dictus Deus! qui Joanne Papa coope-
 rante concordiam in Ecclesiam suam re-
 vocavit.* Tum Legati Orientis in eun-
 dem sensum subscripserunt, hoc adjecto,
 quod Patriarchæ sui Photium, antequam
 hoc Concilium celebraretur, recepissent.
 Post Legatos subscripserunt Metropo-
 litæ, Procopius Cæsariensis in Cappa-
 docia, Gregorius Ephesinus, Joannes
 Heracleensis, Daniel Ancyranus, Theo-
 phylactus Sardenis, Georgius Nicome-
 diensis, ceterique Episcopi numero tre-
 centi quadraginta.

Itaque more solito acclamatum, &
 quinta Sessio soluta.

§. XXII.

Sæculum IX.
A. C. 880.*Sessio sexta Imperatore præsentate.*

Sessio sexta die Martis octava Martii celebrata est, non in Ecclesia, ut præcedentes Sessiones, sed in Triclinio aureo, quia nempe intererat vel potius præerat, ut Acta loquuntur, Imperator cum duobus filiis Leone & Alexandro, quos jusserat Augustos proclamari. Episcopis omnibus confidentibus Basilius Imperator dixit: *Forsan oportuisset nos Concilio interesse, & vobiscum pacem & concordiam Ecclesiarum curare; verum quidam improbi criminari potuissent, præsentiam nostram Concilii libertati nocuisse, & multa tanquam vel ex timore, vel assentatione facta sugillare. Hinc nobis satius visum, tempus dare, quo omnia liberrime & sine nobis definiretis, quæ deinde reciperemus, & nostra subscriptione confirmaremus. Illud tantum non abs re fore credidi, si vobis videtur, edendam esse Fidei Confessionem, non novam, sed veterem Concilii Niceni, ab omnibus ceteris Conciliis approbatam.*

p. 301.

Basilius Legatus Antiochenus dixit: *Cum schismata & scandala tuis curis, Imperator Deo dilecte, & precibus Patris nostri spiritualis Photii Patriarchæ sublata sint, æquitas postulat, ut una Confessio*

Sæculum IX. *fessio Fidei in universa Ecclesia sit.* O.
A.C. 880. omnes ceteri Episcopi, atque etiam ultimo Legati Papæ annuerunt. At vero, contra Ecclesiam Romanam cudebatur hæc faba, ut nempe sub specie confirmandi Nicenum Concilium additio, *lioque*, damnaretur.

Ergo Photius Symbolum Nicenum legi jubet addita Præfatione in hæc verba: *Divinam Jesu Christi Doctrinam & Apostolorum ejus, atque Decreta septem Conciliorum Oecumenicorum servamus. Ab his Conciliis damnatos rejicimus, & ab iisdem receptos recipimus. Unde Definitionem Fidei a Patribus nostris acceptam tenemus, nihil omitterimus, nihil addimus, nihil mutamus, aut corrumpimus, ne Patres nostros damnemus & injuriam inferamus manifestam.* Tum sequebatur Symbolum Nicenum, sicut Constantinopoli reformatum fuit, & addebatur Epilogus: *Hæc omnes credimus, in hac fide baptizati sumus, illos, qui hæc credunt, fratres & patres nostros recipimus. Si vero aliquis ausu temerario aliam Fidei Confessionem procuderit, eam Fidelibus aut Hæreticis conversis proposuerit, aut istam vocibus peregrinis, aliquid addendo vel demendo vitiaverit, eum, si Clericus est, deponimus, si Laicus est, secundum Decreta Concilii anathematizamus.*

Sup. lib.
 XVIII.
 §. 6.

p. 305.

His

His perlectis exclamavit Concilium: *Sæculum IX. A. C. 880.*
Omnes hæc credimus, in hac Fide bapti-
zati & ordinati sumus. Anathematizamus cunctos aliud credentes. Elias Le-
gatus Jerosolymitanus, & Cosmus Lega-
tus Alexandrinus dixerunt: Anathema
omnibus, qui commune Fidei Symbolum
non consententur!

Quæsit postea Photius, an Concilio
 e re esse videretur, ut Imperator, sicut
 promiserat, Actis subscriberet. Et Me-
 tropolitis respondentibus; *non solum*
consentimus, sed etiam supplices roga-
mus, subscripsit Imperator manu pro-
 pria, acclamante Concilio & rogante, ut
 tres quoque filios, Imperatores duos, &
 tertium, cui Dignitates Ecclesiasticæ de-
 stinabantur, subscribere juberet. Cum
 ergo & ipsi nomina apposuissent, Theo-
 phanes Diaconus quatuor Principum
 subscriptiones legit. Basilius Imperator
 subscripserat in hunc modum; quod ex
 Decreto præsentis Concilii septimam
 Synodum Oecumenicam confirmet, Pho-
 tium Patriarcham Constantinopolita-
 num recipiat, & omnia contra ipsum o-
 lim dicta scriptave rejiciat. Ejusdem
 tenoris sunt trium Principum subscri-
 ptiones; Stephanus vero se Subdiaco-
 num dicit. Tum Daniel Metropolita
 Ancyranus, ceterique Episcopi preces
 pro Imperatore fuderunt, easque secutæ
 sunt

Sæculum IX. sunt consuetæ acclamationes, quarum
 A. C. 880. ultima fuit: Sanctis Patriarchis Photio
 & Joanni (præposito Photii nomine)
 annos plurimos!

§. XXIII.

Sessio septima & ultima.

*Sessio septima & ultima in magna Eccle-
 sia Die Dominica decima tertia Mar-
 tii celebrata. Photius dixit: Opportu-
 num mihi videtur coram toto Concilio
 recitari Fidei Definitionem, heri editam,
 cum non omnes fuerint præsentis. Vult
 dicere, quod tantum aliqua pars Episco-
 porum Sessioni in Palatio habitæ inter-
 fuisset, cum tamen ex Actis appareat, om-
 nes, trecentos & octoginta, consensisse.
 Tum Concilio ad Photii verba plau-
 dente Petrus Diaconus Fidei Expositionem
 legit, qua confirmata, iterum ana-
 thema dictum omnibus, qui quidquam
 addere vel omittere auderent. Cun-
 ctis deinde silentibus, Procopius Cæsari-
 ensis Allocutionem exorsus, quam tenero
 amore Imperator Photium profere-
 retur, & quanti tantum virum face-
 ret, memoravit, indeque in Laudes ip-
 sius Photii effusus, eum Jesu Christo
 comparare non erubuit, S. Pauli verba
 detorquens, habemus Pontificem, qui
 penetravit Cælos. Subjunxerunt Lega-
 ti Papæ: Si quis Photium Patriarcham*

p. 305.

13. Martii.

p. 286.

Hebr. 4. 14.

non recipit, & cum ipso non communicat, Sæculum IX.
pars ejus sit cum Juda proditore, & A. C. 880.
nemo talem pro Christiano reputet. Tan-
 dem plaudente & acclamante Concilio,
 ad ultimum rursus additum: *Photio &*
Joanni Patriarchis annos plurimos! Ta-
 lia sunt Acta Synodi Photianæ, si tamen
 fidem merentur, utpote quibus Photius
 impudentis audaciæ, & exercitatissimus
 Veterator præfuit. (*)

§. XXIV.

Epistola Papæ de voce, Filioque.

Actis Concilii Photiani subjuncta visi-
 tur Joannis Papæ Epistola ad Pho-
 tium data, cujus hæc est Summa: *Non*
ignora- *Bevereg.*
p. 306.

(*) In Epistola CVIII. quam Joannes Papa
 ad Photium haud dubie dederit, in Act. Concil.
 Edit. Parisiensis. hæc inter alia leguntur: *Sed*
cum nos Scriptis & verbis misericorditer te-
cum specialiter agendum esse decreverimus; mi-
randum valde est, cur multa, quæ nos statue-
ramus, aut aliter habita, aut mutata esse no-
scantur. Et in fine Epistolæ: Nam & ea, quæ
pro causa restitutionis Synodali Decreto Con-
stantinopoli acta sunt, recipimus. Et si for-
tasse nostri Legati in eadem Synodo contra
Apostolicam præceptionem egerunt, nos nec re-
cipimus, nec judicamus alicujus existere firmi-
tatis.

Sæculum IX. ignoramus, quod non nulli eorum, qui a
 A. C. 880. pud vos sunt, de nostra Ecclesia & de no-
 bis ipsis, veritate neglecta, male locuti
 sint talia, quæ speciem aliquam veri ha-
 bent. Hac de causa etiam antequam tua
 Fraternalitas aliquid nobis significet, ista
 tibi manifesta facere decrevimus. Novit
 quippe tua Fraternalitas, quod cum nuper
 ad nos accessit qui a te missus est, & de
 Sancto Symbolo nos consuluit, invenit
 nos illud inconcussum, sicut nobis ab ini-
 tio traditum est, conservasse, neque ali-
 quid addidisse vel detraxisse, cum nove-
 rimus, quod eos, qui talia facere audent,
 gravis condemnatio expectet. Reveren-
 tiæ itaque tuæ iterum significamus, ut
 de additione ista, quæ scandali in Ec-
 clesiis causa fuit, tibi satisfaciamus,
 quod non solum hoc non dicamus, sed
 etiam quod eos, qui principio hoc dice-
 re sua insania ausi sunt, quasi trans-
 gressores Divini Verbi condemnemus,
 & tanquam eversores Theologiæ Christi
 Domini, Sanctorum Pontificum, & re-
 liquorum SS. Patrum, qui nobis Sym-
 bolum tradiderunt, eosque unacum Ju-
 da collocemus, quia Jesu Christi mem-
 bra schismate dividunt. Arbitramur
 autem tuam Reverentiam recte nosse,
 cum sis sapiens & Doctrina præditus,
 quod dum, ut reliqui nostri Episcopi
 nobiscum idem sentiant, totis viribus con-
 tendi-

Joan. ep.
 320.

tendimus, non mediocrem id nobis molestiam afferat & res adeo gravis tam cito commutari non possit, tot (*) annorum spatio confirmata. Hac de causa rationi congruum nobis visum est, ne aliquis violenter cogatur additionem illam in Symbolo dimittere, sed potius mansuetudine Christiana hujusmodi homines admonendos esse, & paulatim a blasphemia (***) revocandos. Qui igitur nos accusant, quod male sentiamus, contra veritatem peccant. Illi vero non aberrant, qui dicunt, inter nos adhucdum aliquos invenire esse, qui hoc dicere audeant. Tuum ergo est nobiscum laborare, ut cum prudentia & longanimitate dissentientes reducamus.

Sæculum IX.
A. C. 880.

Observavimus in Collatione Legatorum Caroli Magni & Leonis III. Papæ Additionem, *Filioque*, in Symbolo Nicæno Romæ non fuisse receptam, & displicuisse Papæ, quod eam Franci recepissent, quamvis de veritate Doctrinæ, quam continet, videlicet S. Spiritum a

Sup. Lib.
XLV.
p. 48.

Z z 2

Patre

(*) In ipsa Epistola contrarius est sensus: Licet brevi tempore ortum habuerit, nec multorum annorum spatio fuerit confirmata.

(**) Non satis sibi ipsi constare videtur Joannes Papa. Si enim addentes: *Filioque*, cum Juda collocandi fuissent, homines Blasphemiarum rei, nec uno momento tolerari debuissent.

Sæculum IX. A. C. 880. Patre Filioque procedere, non dubitaret. Unde Joannes Papa, cum sciret, hanc Additionem Græcis scandalo esse, salva veritate dicere poterat, eam ab Ecclesia Romana non esse receptam, eosque vituperare, qui additionis auctores erant. Si vero in reprehendendo nimius est, illud adscribendum est vehementissimo Photio & Imperatori placendi desiderio, quo in plures errores pertrahi se passus est. Sed Doctrinæ substantiam in hac Epistola non delibat. Nilominus posteriore tempore Græci Schismatici tam istam Epistolam, quam omnia in Photiana Synodo circa hanc Doctrinam acta in rem suam traxerunt, & Photianam hanc Synodum, Oecumenicam, Concilium vero Oecumenicum anni octingentesimi sexagesimi noni, nullum jactitarunt.

Bever. p. 290 Post Concilium Photianum occurrunt tres Epistolæ a Photio Episcopo Italiæ, Concilio jam soluto & utraque Ecclesia reconciliata, scriptæ, videlicet Marino Castellensi, Gauderico Velitrensi & Zachariæ Anagninensi. Dona etiam mittit, & amicitiae vinculum tempore sui exilii disruptum renovari cupit.

§. XXV.

Res Orientis.

Sed iterum convertamur ad res Orientis,

tis, quo illa, quæ de Legatis ad hoc Con-
 ciliabulum ex Oriente missis dicta sunt, A. C. 880.
 facilius intelligantur. Califa Mutazius, Sup. Lib.
 cum rerum potitus esset annos tres & LI. §. 7
 dimidium socors & voluptatibus immer- Elmac. II.
 sus, regno se abdicare cogitur. Tum c. 14. p. 160.
 ergastulo inclusus, & inedia consumptus c. 15.
 est. Agebatur tunc annus Hegiræ 255.
 Jesu Christi 869. Ei successit Mahomet,
 filius Califæ Watheci, dictus a suis *Mu-*
tadi, qui cum esset amans virtutis, mo-
 res in pejus lapsos emendare cogitabat.
 Omnes a vino abstinere jussit, cantores,
 mimos, sortilegos ejecit, tributa minuit,
 & bis in hebdomada Alcoranum manu
 tenens jus populis dicebat. Sed Turcæ
 elapso spatio undecim mensium seditio-
 ne commota indignis modis habitum in-
 terfecerunt. Ejus Successor *Mutamid*, c. 16.
 Califæ *Mutevaquel* filius anno Hegiræ
 256. salutis nostræ 870. regnum conse-
 cutus, voluptati totum se dedit; unde
 sub Religionis specie multæ seditiones
 ortæ. Nihilominus annis viginti tribus
 usque ad annum Hegiræ 279. salutis 892.
 imperavit. Illa tempestate Achmet Fi-
 lius *Tulon* Ægypto præfectus Antio-
 chiam Califæ, a quo defecerat, potesta-
 ti ereptam sibi subjecit; cumque *Muaffec*,
 Califæ frater, cui illius Provinciæ præfe-
 ctura commissa erat, Achmetem armis
 opprimere non posset, in omnibus fanis

Sæculum IX. Bagdati rebellem excommunicari iussit.
 A. C. 881. Quippe Musulmanni in ferendis censuris Christianos imitari non abhorrebant. Achmet anno Hegiræ 265. Salutis 879. Antiochiam cepit; nec est dubitandi locus, hunc ipsum esse, quem Theodosius Patriarcha in aliqua Epistola *Ebintaeloum* nominat. Sed potius *Ebin-Tulon* seu *Tulon-filius*, legendum est.

Sup. n. 15.

Eutych. p. 471. tom. 2.

Theodosius seu Thadous Patriarcha Melchita Antiochenus primo anno Califæ *Mutamid*, nempe anno 870. defuncto Stephano, qui una die federat, ordinatus, hanc Sedem annis viginti tenuit. Patriarcha Melchita Jerosolymitano, cui etiam nomen Theodosius erat, anno decimo ejusdem Califæ, nempe octingentesimo octogesimo fati functo, successit Elias, cujus parens *Mansour* Civitatem Damascenam Musulmannis prodiderat, ob hanc causam ab omnibus Christianis excommunicatus. Elias vero Sedem annis viginti novem obtinuit, a quo habemus Epistolam anno octingentesimo octogesimo primo, Indictione decima quarta, ad Reges, ad omnes Episcopos & Fideles Franciæ datam. In ea dicit, Principem illius Regionis, ad Christiana Sacra conversum, Ecclesias ruinam minantes reparandi potestatem fecisse. *Cum vero, inquit, ad bos suntus pecunia non suppetat, nec mutuam dare quis-*

tom. 2. Spic. p. 272. Et præf. 1. Sæc. 6. Act. Ben. n. 8.

Patriarchæ
Orientis.

quisquam velit, vineas & oliveta ad Ec-
clesiam pertinentia, atque etiam Vasa sa-
cra pignori dedimus creditoribus. Sed
nec istud sufficit, & interim nec lumina-
re Ecclesiarum alere, nec pauperibus aut
Monachis subvenire, nec captivos redime-
re possumus. Unde denique ad vestram
cbaritatem confugimus. Quis iste Prin-
ceps conversus fuerit, nec conjicere qui-
dem licet, & nescio, an Orientales sibi
licere non putaverint, calamitates com-
minisci, quo facilius eleemosinam impe-
trarent. Hæc Epistola delata est a duo-
bus Monachis Gisperto & Rainardo; eo-
rumque nomina satis produnt, Francos
fuisse, qui se in Terram Sanctam rece-
perant.

Patriarcha Melchita Alexandrinus
tunc temporis erat Michael, *Bacam* fi-
lius, quo, anno Hegiræ 256. Jesu Chri-
sti 870. fatis functo, duobus exinde an-
nis elapsis, nempe 258. in ejus locum
suffectus est alter Michael, qui annis tri-
ginta quatuor sedit. At Patriarcha Ja-
cobita Alexandrinus erat Osanius, seu
Sanut, qui postquam sedisset annis unde-
cim usque ad annum 877. Successorem
habuit Michaellem. Eum per annos vi-
ginti quinque Sedem tenentem Achmet,
Tulon filius, dure vexavit, & tam gra-
via imperavit tributa, ut quartam par-
tem Ecclesiarum Alexandrinarum Judæis

Chr. Orient.
p. III.

Elmac.
p. 176.

Sæculum IX. vendere, & a Christianis pensionem in
 A. C. 880. singulos homines exigere coactus fuerit.
 Bona Monachorum quoque ære permu-
 tavit, & nihilominus non plus quam me-
 diam partem imperatæ pecuniæ, videli-
 cet viginti millium *Dinars* seu Solido-
 rum aureorum, dare potuit.

Hæc de Ecclesiis Orientalibus literis
 prodita invenio. Ceterum cum hos Pa-
 triarchas sub dira servitute degisse videa-
 mus, obstupescendi non est locus, quod
 tam facile Legatos nunc pro, nunc con-
 tra Photium, dicturos miserint; ut illis
 Principibus velificarentur, a quibus lar-
 gionem stipem acciperent. Qua autem
 fide digni sint testes, adeo leviter, quod
 prius probaverant, damnantes, Lector
 judicet.

ep. 240.

Basilii Imperator auxilia, ut Papæ
 spem fecerat, in Italiam misit, Gregorio
 Spathario, Theophylacto Turmarcha, &
 Diogene Comite ducentibus; quos ubi
 Papa Neapolim pervenisse, & multas Sa-
 racenorum copias profligasse comperit,
 datis literis victoriam gratulatus petit,
 ut aliquot triremes ad defendendam con-
 tra hostes eosdem Romam deligerent.
 Simul datis ad Athanasium Archiepisco-
 pum Neapolitanum & populum Amal-
 fiensem Epistolis vehementer instabat,
 ut foedera cum Infidelibus rumperent.

Ep. 241. 242.

§. XXVI.

§. XXVI.

Sæculum IX.
A. C. 880.*S. Methodii Sclavorum Apostoli
obitus.*

Cum Methodius Moravorum Episcopus, ^{Sup. n. 6.}
 acceptis a Papa mandatis, anno su- ^{ep. 194.}
 periore Romam venisset, & Papa ejus fi- ^{ep. 247.}
 dem moresque approbasset, data ad Co-
 mitem Suentopulchrum Sclavorum Prin-
 cipem in Moravia degentium Epistola
 eundem remisit. Laudat vero in ea E-
 pistola, Principem Sancto Petro & Sacræ
 Sedi devotum. *Archiepiscopum vestrum,*
inquit, presentibus Fratribus nostris E-
piscopis ad examen vocavimus, an cre-
dat Symbolum Fidei, illudque in Missa
cantet, quale Ecclesia Romana tenet, &
in sex Conciliis Oecumenicis receptum
est. Respondit, se vero illud tenere, &
cantare, quale ab Ecclesia Romana tra-
ditum accepisset; cum ergo Orthodoxum
invenimus, & Ecclesiæ vestræ erudiendæ
idoneum, remittimus eum ad vos, ut
commissum sibi gregem custodiat, & ro-
gamus, ut eum honorifice suscipiatis, nam
eundem in Dignitate Archiepiscopi con-
firmavimus; unde secundum Canones i-
psius jam est, omnes causas Ecclesiasticas
definire.

Episcopum Nitriensem quoque conse-
cravimus Wichinum Presbyterum, quem
ad nos misisti, & volumus, ut in omni-

Z z 5

bus

Sæculum IX.
A. C. 880.

bus secundum Canones Archiepiscopo suo obediatur. Porro tempore opportuno & alium Presbyterum vel Diaconum, consentiente Archiepiscopo, ad nos mitte, quem pro alia Ecclesia, in qua Cathedram Episcopalem erigendam esse censueris, ordinemus. Tum cum his duobus Episcopis Archiepiscopus vester alios ordinare poterit in talibus locis, ubi salvo honore Episcopis debito residere possint. Episcopatus Nitriensis hodieque existit in Hungaria superiore, Archiepiscopo Strigoniensi subiectus. Unde dispici potest, quo usque Suentopulcher dominatus fuerit. Tum Papa prosequitur: Volumus, ut Presbyteri, Diaconi, alique Clerici, sive Sclavi, sive ex alia ratione procreati, in regno tibi subiecto existentes, in omnibus, quæ præceperit, vestro Archiepiscopo obtemperent. Si qui refractarii, aut Schismatici fuerint, & secundo admoniti non emendaverint errorem, ex Ditionibus tuis expellantur.

Tandem Literas Sclavonicas a Constantino Philosopho inventas approbamus, & jubemus, in eadem lingua facta & laudes Jesu Christi denunciari; cum S. Paulus dicat: Omnis lingua confiteatur, quod Dominus Jesus in Gloria Dei Patris sit. Nec Fidei repugnat in eadem lingua Sclavonica Missam celebrare, Evangelium aliasque Scripturas tam veteris quam

quam novi Testamenti a perito Interprete versas legere, aut ceteras Divini Officii horas cantare. Qui tres linguas primarias, Hebraicam, Græcam, & Latinam condidit, etiam ceterarum omnium ad Gloriam suam auctor fuit. Volumus tamen Sancti Evangelii honori dari, ut prius lingua Latina, deinde Sclavonica, quo consulatur populo Latine lingue ignaro, legatur, more aliarum quarundam Ecclesiarum. Si vero vel tua Excellentia, vel Præfecti tui mavultis, Missam lingua Latina vobis presentibus celebrari, jubemus, ut fiat. Ex hac Epistola, mense Junio anno octingentesimo octogesimo, Indictione decima tertia, data, videmus, Joannem Papam, postquam Methodii argumenta percepisset, a sententia sua abiisse, nec amplius prohibuisse, ne Divina Officia in lingua vulgari peragerentur. In quibusdam Dalmatiæ & Moraviæ (*) locis hodieque Missa lingua Sclavonica celebratur.

Ergo Methodius in Moraviam reversus incepta persecutus est, multis adversis fatigatus; id enim cognoscimus ex Joannis Papæ Epistola, anno sequente ad eum data, in qua titubantem consolatur & forti animo esse jubet.

S. Me-

(*) Id forsân de Moravia antiqua non vero de nova accipi potest.

Sæculum IX.
A. C. 880.

S. Methodius

Sæculum IX.

A. C. 880.

*ep. 268.**vit. ap. Boll.**9. Mart. tom.**7. p. 24.*

S. Methodius Borivojum seu Wo-
siwojum, Ducem Bohemiæ, cum tri-
ginta Comitibus, ad Fidem convertit,
quos postquam satis in Doctrina Catho-
lica erudiisset, & jejunia solemnia ser-
vare jussisset, baptizavit, & Presbytero,
qui Neophytos in fide suscepta confir-
maret, tradidit. Ludmilla quoque Bo-
rivoji uxor fidem amplexa, & Martyrii
palmam consecuta est. Hæc fuere Ec-
clesiæ Bohemorum initia. (*) Tandem
Metho-

(*) Hic iterum videmus, quod passim in
Historia Ecclesiastica occurrit, Ecclesias Bohe-
miæ & Moraviæ, sicut etiam ante annos non
adeo multos Daniæ & Sueciæ, Romanorum Pon-
tificum cura & paterna sollicitudine ad Fidem
Christi, non sine singulari utique Dei providen-
tia, fuisse conversas. Sed audiamus, quam te-
mere homines Lutherani de Divina Dispositio-
ne pronunciant. Im Windmonde 1759. im III.
Stücke. Indessen ist es allerdings zu bedau-
ren, daß der Aberglauben und die Dumm-
heit derer, welche die Christliche Religion in
Schweden gepflanzt haben &c. Ist das nicht
ein unchristliches Urtheil? sollte man nicht billig
sagen können, daß diese Leute die Religion Chris-
ti, welche sie von ihren Voreltern überkommen
verhören?

Religionsfachen gehören, nach ihrem eigenen
Geständnisse zu der Absicht dieser Monatschrift
gar nicht; allein, der wilde Religionseifer, den
sie

Methodius, Romam redux, obiit, & in Sæculum IX.
 Ecclesia S. Clementis apud fratrem suum A. C. 880.
 Cyrillum sepultus est. Ambo Sanctis Mart. Rom.
 adscripti, eadem die, nempe nona Mar- 9. Mart.
 tii, coluntur.

§. XXVII.

*Litteræ Papæ Constantinopolim
 datæ.*

Postquam Joannes Papa subsidiis in Ita- *Ep. 251.*
 liam a Græcis missis adjutus fuit, &
 quæ in Concilio Constantinopolitano a-
 ctæ fuissent, comperit, Epistola ad Ba-
 silium

sie sich anmassen an den Katholischen zu tadeln,
 verleitet sie selbst immer etwas unartiges und aus-
 schweifendes einzumengen. Wenn die von der
 Römischen Kirche berufenen und nach Schweden
 im IX. Jahrhundert geschickten Glaubenspredi-
 ger abergläubige und dumme Leute gewesen sind,
 so sage uns doch ein Protestant; wo denn eine
 andre Kirche, eine andre Gemeinde, im IX. Jahr-
 hundert gewesen sey, welche das Gebot Jesu
 Christi: *Euntes in Mundum universum, prædi-
 cate Evangelium.* Marc. XVI. halten, und recht-
 gläubige Lehrer nach Schweden hätte senden wol-
 len oder können? Kann aber ein Protestant keine
 solche Kirche bestimmen, so bitten wir, er möch-
 te uns einen kleinen Zweifel unschwer benehmen,
 und die Wahrheit der Worte Jesu Christi zu
 Petro retten. *Et portæ Inferi non prævalebunt
 adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælo-
 rum.* Matth. XVI.

Sæculum IX. filium Imperatorem decima tertia Au-
A.C. 880. gusti anno octingentesimo octogesimo,
 Indictione decima tertia, data, laudat
 Principis zelum, qui in labore reducen-
 di Ecclesiam ad pacem & concordiam
 enituisse, & hortatur ad constantiam.
 Gratias agit, quod triremes ad defen-
 dendum patrimonium S. Petri miserit,
 quod Ecclesiæ Romanæ Monasterium
 S. Sergii in Civitate Constantinopoli-
 tana, & Jurisdictionem in Bulgariam red-
 diderit. Vult dicere, id ab Imperatore
 fuisse promissum; quamvis hujus pro-
 missi effectum nullum videamus. Sub
 finem addit: *Approbamus, quod Conci-
 lium Constantinopolitanum gratiæ causa
 Photio concessit, cum eum rursus in Se-
 dem Constantinopolitanam reduxit. Si
 vero Legati nostri quidquam contra man-
 data a nobis accepta egerunt, non reci-
 pimus, & illud aliquatenus valere no-
 lumus.*

ep. 250.

Papa Photio quoque scribens, læti-
 tiam profitetur, ob reconciliationem
 Ecclesiæ Constantinopolitanæ; sed que-
 ritur, quod sua mandata fuerint negle-
 cta. *Consensimus, inquit, ut secundum
 viscera misericordiæ ab Ecclesia reci-
 peveris. Tu vero scribis, misericordiam
 ab illis solum, qui deliquerunt, esse im-
 plorandam. Noli istam excusationem
 afferre, ne ex numero illorum sis, qui co-*
 rama

vam hominibus justis videri volunt. *Di-* Sæculum IX.
ceris vir esse, cui virtus humilitatis A. C. 880.
Christianæ sit familiaris; noli igitur
impatenter ferre, quod ab Ecclesia mi-
sericordiam rogare jussus fueris,

In fine Epistolæ Papa dicit, quod Con-
 cilium Constantinopolitanum recipiat,
 sed iisdem conditionibus, quas in Epi-
 stola ad Imperatorem apposuerat. Unde
 dispicitur, quod fidem Legatorum suo-
 rum suspectam habuerit.

Has Epistolas detulisse creditur Ma- *Sup. Lib.*
 rinus Episcopus, qui olim Diaconus & *L. l. §. 26.*
 Hadriani II. Papæ Legatus Concilio Con-
 stantinopolitano octavo Oecumenico, *Steph. Pap.*
 anno octingentesimo septuagesimo cele- *ep. 1.*
 brato, præfuerat. Illud satis explora-
 tum, quod a Joanne Papa missus Con-
 stantinopolim, cum ad abrogandam Sy-
 nodum VIII. consensum præbere nollet,
 carceri datus, & unius mensis spatio de-
 tentus fuerit. (*)

§. XXVIII.

Carolus Crassus Imperator.

Quamvis Imperatoris Basilii Classiarii
 in Italia Saracenos prælio fudissent,
 illa tamen victoria Roma non fuit libe-
 rata.

(*) Ex his omnibus plane conficitur, ple-
 raque in Synodo Photiana peracta nullius robo-
 ris fuisse.

Sæculum IX. rata. Id enim discimus ex Epistola Pa-
A. C. 880. pæ, die trigesima Octobris anno octin-

gentesimo octogesimo, ad Carolum Re-
 gum Germaniæ alterum data. *Nibilo-*
minus, inquit, a Saracenis, quin & a ci-
vibus nostris dire vexamur, nemini ex
Urbe pedem efferre, nec ad laborem ob-
eundum alendis hominibus necessarium,
nec ad pia Religionis opera peragenda,
licet. Unde nisi opem feras, non sine
tua culpa peribimus. Easdem preces

sp. 246. 249.

ep. 252.

Ann. Fuld.
880.

Ann. Bert
880.

Metens. 881.

Cum itaque Rex Carolus sub finem hu-
 jus anni Romam venisset, eum Pontifex
 in Festo Nativitatis Domini Imperatorem
 coronavit. Is est, qui cognomento Cras-
 sus dicitur.

Conjicere pronum est, Anspertum
 Archiepiscopum Mediolanensem de hac
 Coronatione cum Papa consensisse; is
 quippe

quippe eodem tempore in gratiam rediit. Paulo ante data Epistola Anspertum durius reprehenderat Papa, quod duos Monachos in carcerem coniecisset. At decima quinta Februarii anno octingentesimo octogesimo primo Ordinationem Josephi, quem Anspertus Episcopum Astensem consecraverat, confirmavit, etsi antea ejusdem Josephi Ordinationem ad Ecclesiam Vercellensem, ab Ansperto factam, nullam pronunciaisset. Simul Papa Anselmo Archidiacono Mediolanensi præcipit, ut ad Communionem Ansperti, a quo secesserat, redeat, alterique Dynastæ, nomine Attoni, ut Bona Ecclesiæ Mediolanensi subtracta, restituat, & utrique, nisi obtemperet, excommunicationem comminatur. Ansperto anno sequente octingentesimo octogesimo secundo fatis functo Anselmus successit.

Sæculum IX.
A. C. 881.

ep. 256.

ep. 260.

ep. 261.

ep. 262.

§. XXIX.

Athanasius Neapolitanus excommunicatur.

At Papa Athanasium Episcopum Neapolitanum in Concilio ad S. Petrum Romæ, mense Aprili, anno 881. habito, fulmine Ecclesiastico perculit. Sententia erat hujusmodi: *Cum Athanasium Episcopum Neapolitanum, sepe monuerimus, ut fœdera cum Saracenis inita rejiceret,*

ep. 265.
to. 9. Conc.
p. 336.
Epist. 270.

Hist. Eccles. Tom. XII. A a a ceret,

Sæculum IX.
A. C. 881. ceret, atque in hanc spem ei non modicum pecuniæ vim miserimus; cum ipse quidem fidem dederit, se illa pacta rescisurum & ab impia societate recessurum, consentiens, ut a Sacerdotio depositus anathemate percuteretur, si fœdere cum Infidelibus iterum admissio pollueretur; cum præterea datam fidem fregerit, nos sæpe eluserit, & cum Saracenis spolia a Christianis detracta partitus fuerit, cum omni Communione Ecclesiastica privavimus, & tanquam Christiani nominis hostem infensissimum anathematizavimus, usque dum a Saracenorum turpissima communiione penitus absteineat. Hanc sententiam Papa etiam ad Episcopos vicinos Cajetanum, Capuanum, Verolanum, Amalfiensem, Beneventanum & Salernitanum misit.

ep. 294.

Athanasius paulo plus anno uno excommunicatus tandem misso e suis Diacono Papam rogari iussit, ut se absolveret, invisa cum Saracenis fœdera rupturum. Illico Papa Neapolim mittit Marinum Episcopum, Sacræ Sedis thesauro Præfectum, aliumque virum spectabilem, nomine Siconem, cum Epistola, in qua Athanasium ab excommunicatione & suspensione absolvebat, ea conditione, in quiebat, ut præsentibus nostris Legatis captos, quotquot poteris, Saracenorum præcipuos, quorum nomina tibi significamus,

mus, aliis jugulatis, (*) ad nos transmittas. Hæc conditio a Papa in absolutione Episcopi adjecta ab antiqua Ecclesiæ mansuetudine abhorret.

§. XXX.

Concilium ad Sanctam Macram.

Eodem tempore, quo Romæ in Concilio Athanasius condemnabatur, Episcopi quarumdam provinciarum in Francia Synodum celebrabant in loco, qui Finibus † dicebatur, Diœcesis Remensis in Ecclesia S. Macræ Martyris, quam Ecclesia sexta Januarii colit. Huic Concilio initium datum secunda die Aprilis anno octingentesimo octogesimo primo, Indictione decima quarta, Hincmaro Archiepiscopo Præside, cujus Stilus in octo Articulis, ad nos usque delatis, facile dignoscitur. Hos potius prolixas exhortationes quam Canones dixeris. In primo de diversitate utriusque Potestatis, Sacerdotalis & Regiæ, agitur, atque celebratissimus locus S. Gelasii Papæ affertur. Longus textus citatur ex S. Gregorio negligentiam Episcoporum vituperans.

to. 9 Conc. p. 337. Mart Rom. 6. Jan.

† Fimes.

c. 4.

A a a 2 peran-

(*) Joannis Papæ verba sunt: *Si Majores Saracenorum, quanto melius potes, quos nominatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, & jugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis absolvimus. &c.*

Sæculum IX.
A. C. 881.

- perante. Præcipitur, ut Regis Mandatarii cum Episcopo Diocesano, illis quoque consentientibus, qui redivibus fruebantur, Monasteria tam Canonicorum quam Monachorum & Monialium visitent. Numerum pensent, & mores Religiosorum virorum, alimenta, locorum Regularium fabricam, Thesaurum, Bibliothecam, hospitalitatem, & quas largirentur eleemosynas. Hæc omnia in tabulas referant, Regi mittendas, ut adhibito Episcoporum consilio, quid agendum sit, decernere valeat. Nempe Monasteria à viris potentibus possessa saepe in statum calamitosissimum dejiciebantur.
6. 2. Tum afferuntur complures textus Scripturæ & SS. Patrum adversus prædones, quorum in dies crescebat audacia.
6. 6. Adjiciuntur excerpta ex Capitularibus, unde Rex, ejusque Præfecti discerent, qua ratione reprimendi essent.
6. 7. Docentur Fideles, quam necessaria sit penitentia, & rerum male partarum restitutio.

9. 8. Tandem Concilium, sermone ad Regem directo (erat vero Rex in illis Franciæ partibus Ludovicus, hujus nominis tertius, nam frater ejus Carlomannus in Burgundia & Aquitania regnabat) ei proponit exemplum Caroli Magni, qui ex numero illorum virorum, cum quibus consultare solitus erat, tres sapientia præstantes

stantes a latere suo nunquam avelli poterant, & ubicunque noctu somnum capturus erat, pulvinari tabellas supponebat, quibus cogitationes suas vel Ecclesiæ vel Reipublicæ utiles inscriberet, & postea viris, sibi a consiliis, communicaret. Tum Princeps juvenis monetur, multos ipsum potestatis Regiæ socios habere & vix nisi solo nomine Regem esse. Excitatur, ut prudentia & fortitudine ætatem superaret.

Tandem Concilii nomine amplissima exhortatio Regi missa, ad comprimendos prædones, qui viduas, puellas invitis parentibus, quin & Virgines Deo Sacras rapiabant, & complures Canones excerpti.

Odone Episcopo Bellocacensi fati functo, Concilii Patribus ad S. Macram oblatum est Decretum, quo Clerici populusque quemdam Clericum, Odacrum nomine, Episcopum eligebant. Et huic quidem Rex favebat; sed cum eum Concilium tanto gradu indignum judicaret, missi sunt ad Regem Episcopi cum Epistola, in qua causæ, cur Odacer rejiceretur, exponebantur, & Rex libertatem eligendi sibi Episcopum, quem vellent, populis concedere rogabatur. Hæc res Regem offendit, relatumque per amicos est Hincmaro Archiepiscopo, permultos passim jactare; quoties Rex electioni E-

Sæculum IX.
A. C. 881.

Ap. Hincm. opusc. 16. to. 2. p. 25.

Hincm. ep. 12. tom. 2. p. 188.

n. 3.

n. 4.

Sæculum IX. A. C. 881. Episcopi locum concederet, non alium eligendum esse, quam quem ipse vellet.

- In ipsius potestate esse Bona Ecclesiastica, quæ dare posset, cui sibi videretur.
- n. 6. Reddita deinde est Hincmaro Regis Epistola, in qua dicebat; propositum sibi esse tam in negotiis ad Rempublicam quam ad Ecclesiam pertinentibus Hincmari consilia sequi. Rogare, ut eadem charitate, qua antea Reges Antecessores suos, ipsum prosequeretur, cupio etiam, n. 8. 9. adjiciebat, *te consentiente & ordinante Episcopatum Bellovacensem Odacro, dilecto filio tuo, & fidelissimo subdito meo conferre. Si in gratiam mei consenseris, & ego iis omnibus, quos tibi carissimos scivero, honorem habebō.*

§. XXXI.

Hincmari Epistolæ pro libertate Electionis.

- ep. 12. **H**incmarus respondit data Epistola in hunc ferme modum: *In Epistola quam Concilium nostrum ad te dedit, Rex, nihil est, quod Reverentiam Principis lædat, aut Saluti Regni tui adversetur; sed Metropolitanæ & Episcopis Provincia jus electionem Episcopi ad examen vocandi & confirmandi secundum Canones asseritur. Noli audire dicentes, tuo arbitrio eligendos esse Episcopos, tibi que Bonorum*

novum Ecclesie competere Dominium; Sæculum IX.
 quippe ejusmodi sermones Infernus & os A.C. 881.
 serpentis exhalat. Memento promissi tui
 editi, cum in Regem unctus es, cui tua
 manu subscripsisti, & Deo super Altare
 presentibus Episcopis obtulisti. Illud
 tibi, tuis ad consilium adhibitis, relegi
 jube, & cave ne in Ecclesiam malum in-
 vebas, quod Progenitores tui, maximi
 Imperatores, cum viverent, ausi non sunt.
 Ego quidem fidissimus & addictissimus
 tibi semper ero. Labores non modicos
 subii, ut Rex esses. Absit ergo, ut in-
 jurias pro accepto beneficio reddas, cum
 Archiepiscopum & senem abstrahere vis
 a sancta semita, quam per annos triginta
 sex, ex quo Episcopatum suscepi, Deo im-
 mortalibus laudes! secutus sum. Promittis,
 fautorem te futurum eorum, quos ama-
 vero. Sed nihil unquam a te petam, ni-
 si pro pauperibus, & quod Saluti animæ
 tuæ prodesse possit. Perpende autem, o
 Rex! Ordinationes Episcoporum, si con-
 tra Canones fiant, esse Simoniacas, & om-
 nes consentientes eodem involvi crimi-
 ne. Ne credas, banc Doctrinam in meo
 cerebro natam; nam ea est, quam JESUS
 Christus, Apostoli & Sancti ejus, qui
 cum ipso regnant in Cælo, nobis tradide-
 runt. Væ tibi, si eam contempseris. I-
 taque Episcopi in Synodo congregentur,
 & cum Clericis & populo, te consentien-

n. 7.

n. 9.

n. 10.

Sæculum IX. te, *Episcopum Ecclesiæ Bellovacensis* eli-
A. C. 881. *gant.*

Ep. 13. p. 190

n. 5.

Hoc responso ad Regem perlato, Hincmarus decima tertia Junii alteram Epistolam stilo vehementiore exaratam accepit, in qua Rex adolescens a suis ad dicendum impellebatur. *Nisi de Ordinatione Odacri nobiscum consentias, satis exploratum erit, nos tibi viluisse, nec ullam nostri reverentiam, aut jura Regia conservandi curam superesse, sed te nobis in cunctis adversandi studio agi. Si nobis æqualis litem moveret, viribus omnibus Dignitatem asserere contendemus; nunc vero, cum lædamur a subdito, injuriam contemptu ulcisci oportet. Interim a sententia non abibimus, donec rem ad Regem fratrem nostrum & Reges propinquos nostros perscripserimus, omnesque regnorum nostrorum Episcopi congregati fuerint, qui utique, quod Dignitati nostræ competens est, pronuntiabunt. Denique, si opus fuerit, nec alia etiam, quæ ratio suggeret, nobis remedia deturunt.*

Hac Epistola Hincmarus acrius incensus, ad illud sibi objectum, quod in reverentiam Regis peccasset, & obedientiam non præstitisset, respondet, Notarium, qui Epistolam scripserat, impudenter mentiri. Ad illum Epistolæ locum ubi contemnebatur, quod Regi æqualis non

non effert, potestatem spiritualem laudi-
 bus effert, *non tu me*, inquit, o *Rex*, ad
 regendam Ecclesiam vocasti; ego vero
 cum Collegis meis & ceteris Fidelibus te
 elegi, ut regno præesses ea conditione, si
 Leges servares. Neutiquam pertimesci-
 mus rationem factorum nostrorum in
 Concilio Episcoporum reddere, quia ni-
 bil contra Canones egimus. At nisi tu,
 quod perperam factum, emendaveris, ju-
 stus Dominus, quando visum fuerit, cor-
 ripiet. Ludovicus Imperator ad annos
 Caroli † parentis sui non pervenit, Avus † Magni
 tuus Carolus † pauciores annos numera- † Calvus
 vit, quam pater suus, & brevior vita
 parentis tui fuit, quam Avi. Cum Com-
 pendii versaris, ubi Majores tui quiescunt,
 demitte oculos, & quære; ubi jaceat pa-
 ter tuus, & ubi conditi sint cineres avi
 tui, & cave, ne superbia te inflat in ocu-
 lis illius, qui pro te mortuus est, & re-
 surrexit, jamque amplius non moritur.
 Tu quidem cito transibis; sed Ecclesia
 cum Pastoribus suis sub Jesu Christo Ca-
 pite suo, sicut promisit, in aeternum
 manet.

Ista Hinemari comminatio vatici-
 nium cœlitus suggestum videri potuit,
 cum anno sequente hunc Regem Ludo-
 vicum adolescentem mors rapuit.

Tum profœquitur Hinemarus: *Quod* ep. 19. II.
deinde subjicis; si necessarium fuerit, fa-

A a a 5 cturum

Sæculum IX. *Eturum te præterea, quod ratio postula-*
A. C. 881. *verit. Satis intelligo, hæc ad timorem*
mibi incutiendum fuisse addita. Verum
plus potestatis non habes, quam a celo ac-
cepisti. Et faxit Deus, ut vel tua vel
alterius opera liberer ex hoc carcere cor-
poris veteris & fracti! utinam, me vo-
cet ad se, quem ex totis præcordiis vide-
re cupio, non quidem meritis meis confi-
sus, nihil enim nisi pœnam mereor, sed
spero in ejus misericordia & gratia, et-
tiam immerito concedenda. Si vero pec-
cavi, cum, permultis invitis & metuen-
da multa minantibus, de te in Regem eli-
gendo consensi, oro Deum, ut tu ipse con-
ciliati tibi Regni pœnas a me expetas in
hac vita, nec luere cogar in altera. Cum-
que nihil magis tibi cordi sit, quam
Odacri electio, tempus mihi indica, quo
Episcopi Provinciæ Remensis cum illis,
quos Concilium ad S. Macram ad te dele-
gavit, conventuri sunt. Illo etiam a fo-
mulis deportari me curabo, si superstes
fuero. Jube venire Odacrum illosque,
qui eum elegerunt, sive ex Regia tua, si-
ve ex Ecclesia Bellovacensi sint. Tu ipse
adsis, si visum fuerit, vel Legatos mitte,
& exploretur, an Odacer per portam in-
ovile intraverit. Sciat vero, si non ve-
nerit, nos eum esse quæsituros, ubicunque
in Provincia Remensi extiterit, & secun-
dum Canones Ecclesiæ invasorem damna-
turos.

turos. Nunquam in quocunque hujus provinciae loco munere Ecclesiastico fungi licebit, cuncti vero, ipsius criminis conficii, a Communione repellentur, donec Ecclesiae satisfecerint.

Saeculum IX.
A. C. 881.

§. XXXII.

Odacer excommunicatur.

Tandem cum annus integer præterisset, ex quo Odacer fuisset intrusus, Hincmarus cum Episcopis suæ provinciae sententiam in eum edidit, in qua dicit: *Dei Judicium non timuit, nec doluit, quod hoc anno in Cæna Domini multi, quibus Odo Episcopus penitentiam publicam injunxerat, reconciliari non potuerint, nec Communionem accipere.* Quod compluribus solemnibus ritu Baptismus & Confirmatio non fuerit collata, quod compluribus parochis in Ecclesiis ruralibus defunctis, forsitan multi infantes sine baptismo mortui sint, aut alii sine Absolutione, sine Extrema unctione, sine Viatico, sine precibus solemnibus pro quiete animarum suarum decesserint. (*)

Cum

(*) Ecce iterum usus omnium Sacramentorum tam vivorum, quam morientium, atque preces pro mortuis contra Protestantés manifestè comprobantur. Quid ipsi respondent? Superstitio-

Sæculum IX. Cum Oeconomo incumbat, Reditus vacantis Ecclesiæ solícite custodire, Odacer via facti & potentia sæculari subnixus non solum redditus, sed etiam Bona omnia Ecclesiæ Bellovacensis occupavit; quin scimus, quod ad obtinendam hanc Dignitatem pecunias resque alias per amicos suos, nobis non ignotos, dedit. Unde, quia provinciæ Remensis Clericus non est, eum secundum Canones excommunicatum declaramus, & si in contumacia perseveraverit, indignum, qui in hac provincia quocunque tempore Ministerio Clericali fungatur, aut Comunionem, nisi ad extrema deductus, tanquam Viaticum accipiat. Ceterum, vicit Hinemari constantia; nam Odacer Episcopis Ecclesiæ Bellovacensis non adnumeratur.

§. XXXIII.

Forma in Electione Episcoporum servanda.

Sup. Lib. XLVI. §. 47. to. 2. Conc. Gall. ap. to. 8. Conc. general. p. 1866 Libertas eligendi Episcopos a Ludovico Pio restituta adhuc dum stabat; nam ejus usum dispicimus ex compluribus Actis illius ætatis a Patre Sirmondo colle-

ctiosa jam tunc erat Ecclesia Romana. Quid vero? Ecclesia Romana erat superstitiosa, & nulla alia extra ejusdem Romanæ Ecclesiæ Communionem existebat, ubi promissum Christi!

collectis, quorum mentionem in hac hi-
 storia facere, omnino operæ pretium ex-
 istimo.

Sæculum IX.
 A. C. 881.

Quamprimum Episcopus mortuus e-
 rat, mittebantur nuncii, qui Ecclesiæ va-
 cantis nomine rem Metropolitæ signifi-
 carent. Id cognoscimus ex Epistola
 Hincmari ad Regem Carolum Calvum
 data, in qua dicit: *Clerici tres & Laici* n. i.
duo Ecclesiæ Silvanectensis ad me vene-
runt, indicantes, quod Frater noster Er-
poinus e vita discessisset, & afferentes
Libellum Cleri, populique rogantium,
alium sibi Pastorem secundum Canones da-
ri. Quæsi, an in mandatis haberent,
virum nominandi ad eam Dignitatem
promovendum, & responderunt, nihil
aliud sibi præceptum, quam me rogare,
ut curarem, ipsis a te libertatem more
solito Episcopum eligendi concedi. E-
tiamsi vero obitus Erpoini jam die præ-
cedente mihi nunciatus fuisset, id tibi
perscribere nolui, priusquam illius Eccle-
siæ Delegati de more ad me venissent.
Igitur rogo te, ut in Epistolis tuis
quemcunque volueris ex Episcopis Fra-
tribus nostris nomines, quem datis lite-
ris Canonicis in hac Ecclesia Visitato-
rem constituam. Is curabit Episcopum
eligi, mibique vel ipse afferet, vel mit-
tet Decretum ab omnibus subscriptum.
Ego vero omnia ad te deferam. Te
consen-

Seculum IX. *consentiente postea mittam mandatum
A C. 881. meum ad Episcopos Remensis provincia,
præstituta die locoque, quo ad ordinan-
dum Episcopum electum congregentur, &
ipsi veniant, vel misso Presbytero aut
Diacono in Epistolis consensum suum in-
dicent.*

n. 2.

Forma mandati, quod Episcopo Vi-
sitatori dabatur, occurrit in Epistola e-
jusdem Hincmari data ad Hedenulfum
Episcopum Laudunensem, cui defuncto
Joanne Episcopo cura Ecclesiæ Camera-
censis committitur. *Ad hanc Ecclesiam,
inquit, celeriter te confer, hortare publi-
ce populum, ut pravis affectibus depositis
unanimes consensu illum eligant, quem
dignum invenerint, & nulla Irregula-
ritate impeditum. Mitto tibi Electio-
nis Formulam, quam publice prælegi ju-
beas, ne quis ignorantiam prætentat.
Non solum Clerici illius Civitatis eli-
gant, sed etiam omnia illius Diœcesis
Monasteria, omnes Parochi rurales dele-
gatos mittant, qui unanimem eorum con-
sensum deferant. Laici nobiles & Ci-
ves præsentibus sint; ab omnibus enim eli-
gendus est, cui omnes deinde obediant. Si
de viro idoneo consentiant, cura, ut De-
cretum edant, cui singuli subscribant,
cumque petiero, mittant ad me Electum
cum Decreto electionis, & delegatis sus-
ficien-*

ficienti numero, ad reddendum omni ex-
ceptione majus testimonium.

Sæculum IX.

A. C. 881.

n. 3.

Eodem tempore Metropolita Cleri-
cis populoque Ecclesiæ vacantis scribe-
bat; quod dispicimus ex duabus Hinc-
mari Epistolis, una, memorata occasio-
ne, nempe Joanne Cameracensi defun-
cto, altera ad Ecclesiam Bellovacensem,
post obitum Odonis Episcopi, data. Je-
junate, inquit, & inter solemnes preces
ad templa procedite. Deinde ad eligen-
dum Episcopum mature convenite; De-
cretum autem non nisi præsentem, quem
vobis misimus, Episcopo Visitatore con-
scribatur. Eligetis Presbyterum vel
Diaconum ex gremio Ecclesiæ vestræ, sive
ex Civitate, sive ex Monasteriis. Sed si
in Diœcesi, quod absit, virum dignum non
inveneritis, aliquem ex alia Diœcesi no-
stræ provinciæ, vel etiam alterius advo-
cate; tunc autem necessavio, scripta illius
Episcopi, cujus Clericus fuerit, licentia
obtinenda est. Inprimis cavete, ne in ista
Electione Simonie vitium irrepat.

n. 4.

Electio Epis-
coporum.

Hincmarus post hæc adnotat omnes
causas Irregularitatis, quæ in Decretali-
bus leguntur, & Dotes, quibus Episco-
pum ornatum esse decet, & subjicit:
Electum ad nos deducetis examinandum,
& scitote, quod si indignus judicetur,
eum non modo vestrum Episcopum non
futurum, sed vos etiam censuris Ecclesia-
sticis

Sæculum IX *sticis innodandos. Nos vero cum Epis-*
A. C. 881. *copis Fratribus nostris, rejecta electione*
vestra illegitima, Episcopum vobis datu-
ros, qui vitia vestra non dissimulet.

Postquam Episcopus Visitator adve-
 nisset, & Clericos populumque Ecclesie
 vacantis convocasset, dicebat pro con-
 cione. Habemus ejusmodi sermonis
 exemplum, cum Ludovici Pii ætate qui-
 dam Episcopus eligeretur. Notum vo-
 bis facimus, inquit ille Visitator, nos huc
 missos venisse, ut significarem, liberta-
 tem Episcopum eligendi ab Imperatore
 vobis concedi, & jussisse Principem, ut
 vobis explicarem, quibus virtutibus in-
 structum, & a quibus vitiis immunem

Tit. 1. 1. oporteat esse Episcopum. Tum citat
Tim. 3. S. Paulum ad Titum & Timotheum, sub-
 jungitque: *Afferatur Liber, & hi Tex-*
tus coram nobis legantur. Volumus et-
tiam, ut nobis Canones prælegantur, ne
quis se ignorantia excuset. Lectis postea
compluribus Canonibus sermone ad Pres-
byteros directo, inquit, Memineritis Or-
dinationis vestræ, Presbyteri, quorum est
animas regere, qui columnæ Ecclesie ex-
istitis, qui ore vestro Jesu Christi Cor-
pus consecratis, & homines impositione
manuum vestrarum e captivitate Dæmo-
nis liberatis. Cavete ne malis artibus
infernalis veteratoris seducti potestate e-
ligendi abutamini.

Tura

Tum ad reliquos Clericos, ad Virgines, ad Viduas, tandem ad Nobiles ceterosque Laicos, qui uxores habebant, conversus, *Orate*, inquit, *ut non ex alia, sed ex hac Familia Episcopum det vobis Deus; sæpe enim dissensiones & scandala inter Episcopum aliunde advocatum, & gregem suum oriri solent. Si indignum elegeritis, non consentiemus, sed rem ad Imperatorem deferemus, qui deinde salva Canonum auctoritate, cuicumque voluerit Clerico hanc Sedem conferre poterit.* Tandem omnes Fideles præsentibus alloquitur, ad jejunium triduanum, ad dandas eleemosynas, & preces ad Deum devotissime peragendas excitat, unde Cælo favente illum virum eligere valerent, quem optimum, doctissimum & virtutis amantissimum cognoscerent. Quod Episcopus Visitator hic dicit, in potestate Imperatoris futurum, Sedem illam, cui vellet, dare, nihil supra comminationem est; nam contra ium paulo ante ex Epistola Hincmari didicimus.

Decretum Electionis erat in forma Epistolæ, ad Metropolitanam ejusque Suffraganeos nomine Clericorum populique Ecclesiæ vacantis directæ. Ejusmodi litterarum tria nobis suppetunt exempla. Primo Decretum Electionis Hedenulfii in Sede Laudunensi, Hincmaro deposito, vigesima octava Martii anno 876. datum.

Sæculum IX.
A. C. 881.

Sup. n. 31.

Form. n. 7.

Sup. Lib.
LII. § 34.

De Electione
Episcopo-

Inrum.

Hist. Eccles. Tom. XII.

B b b

Sæculum IX. In eo exponitur, quanta utilitas sit in electione libera; videlicet, ne populus

A. C. 881.

Episcopum a se minime expetitur vel contemnat, vel oderit, & ne rerum sacrarum vilipensio succedat, si Episcopus, cuius desiderio tenebatur, denegetur. Sic etiam ordinantes lubentius Electo manus imponere, cum videant, hunc Pastorem ab omnibus unanimi consensu optari. Secundum, est Decretum Electionis Æneæ in Sede Parisiensi, Erccardo fatis functo. In quo Æneas, Rege id desiderante, electus dicitur, ita ut potius consentiat populus, quam vere eligat. Exemplum tertium est Anselmi Archiepiscopi Senonensis e Provincia Remensi & Diocesi Bellovacensi, ubi Abbas S. Michaelis erat, evocati. In Decreto legitur, quod Episcopis provincie Senonensis permittentibus, & Rege consentiente, eligatur. Datum est vigesima septima Junii anno 871. Ceterum, Electionis Decretum in membrana scriptum esse oportebat, in qua Clerici, Monasteriorum Delegati, Parochorum Ruralium præcipui, & primores populi subscribere possent.

n. 8.

Sup. Lib.
XLIX.

§. 13.

Form. n. 9.

Hinc. opusc.
43.c.2.p.717

Ubi Electus erat Diaconus, præstito tempore Presbyter ordinabatur. Et postquam in locum, in quo ordinandus erat, advenisset, pridie, nempe in Sabato, omnibus illius provincie Episcopis in

in Ecclesia Metropolitana collectis De-Saeculum IX.
cretum Electionis promulgabatur. Quæ A.C. 881.
rebant Episcopi ex Delegatis, an unani-
mis fuisset eligentium consensus, sicut
in Decreto legeretur, & an bonas dotes,
quas in Electo reperiri affirmarent, re-
vera in ipso agnoscerent. Responso au-
dito, rursus quærebant, an nemo adesset,
qui in re quacunque Electum accusare
vellet, aut contra ejus electionem recla-
mare. Tum Electus ad examen voca-
batur. Hunc in modum procedendum
esse, Hincmarus Episcopum Metensem
Adventium monuit, eidem Formulam
Consecrationis Episcopi transmittens.
Sed quale hoc examen fuerit, melius ca-
piemus ex Actis Ordinationis Guilleber-
ti Episcopi Catalaunensis ad Matronam,
quæ sunt hujusmodi.

§. XXXIV.

Examen Episcopi electi.

Anno octingentesimo sexagesimo octa-
vo, tertia Dec. nempe feria sexta, *Form. pro-
mot. n. II.*
Cadurci in Ecclesia convenerunt Hinc-
marus Archiepiscopus Remensis, Hinc-
marus Episcopus Laudunensis, Odo Bel-
lovacensis, cum Delegatis aliorum ex
illa provincia Episcoporum afferentibus
litteras, quibus absentia causam indica-
bant. Ex aliis quoque provinciis ad-
erant Episcopi, Venilo Rotomagensis,

B b b a

Herar-

Saeculum IX. Herardus Turonensis, Egilo Senonensis,
A.C. 881. & Fulricus Trecensis; ita ut hic Con-
 ventus non immerito Conciliis accense-
 ri posset. Estque verisimile Episcopos
 Comitiorum celebrandorum causa con-
 venisse. Igitur, cunctis Episcopis con-
 gregatis, Clerici, Magistratus, populus-
 que Catalaunensis (nempe Mandatarii)
 Decretum Electionis obtulerunt, peten-
 tes, ut Guillebertus Presbyter Ecclesie
 suae Episcopus ordinaretur.

Hincmarus Archiepiscopus, post-
 quam eos objurgasset, quod alii in de-
 nunciando Episcopi defuncti obitu ipsis
 diligentiores fuissent, rationem exposuit,
 cur in eorum Ecclesia ad alteram ele-
 ctionem procedendum fuisset, quod
 nempe in prima contra Canones pecca-
 tum fuisset. Tum Decretum Electio-
 nis publice lectum cum subscriptionibus.
 Quasitum ex Canonicis, Monachis, Pa-
 rochis & Laicis nobilibus, an de Electio-
 ne Guilleberti consentirent, quibus id
 tam suo quam absentium nomine affir-
 mantibus, Hincmarus dixit: *Non novi-
 mus virum, ostendite eum nobis, quo sciri
 possimus, an tanto gradu dignus sit.*
 Ergo conspectum Episcoporum subeun-
 tem Hincmarus interrogat, unde esset;
 respondetque Guillebertus: *Sum ex Re-
 gione Turonensi.* Hincmarus: *Cujus
 conditionis homo?* Guillebertus: *Esset
 pecca-*

peccator, liber natus sum. Hincmarus: *Sæculum IX. A. C. 881.*
Ubi literis operam dedisti? Guillebertus: In Scholam Turonensem ad literas humanas discendas missus sum. Hincmarus: Quem Ordinem habes, & a quo ordinatus es? Guillebertus: Herardus, Pater meus, quem hic vides, omnes Ordines atque etiam Diaconatum mihi contulit, literis postea ipsius munitum Erpoinus Presbyterum me ordinavit. Hincmarus: Quare in nostram provinciam venisti? Guillebertus: Ad Regiam Principi servitutum miserunt me parentes mei, Herardo Archiepiscopo meo licentiam concedente. Hincmarus: Quod tibi apud Regem ministerium? Guillebertus: Redituum commentariis præfectus eram.

Tunc Hincmarus: *Quia rei alienæ administrator fuisti, ausculta, quid de iis Concilium Calcedonense dicat, & illum Canonem legi iussit. Guillebertus respondit: Non fui Quæstor, a nemine quidquam exegi, nec ad pendendum debitum compuli, sed comportatæ pecuniæ numerum in tabulas relatam Regi exhibebam.*

Tum interrogati, qui in Regia verfabantur, an Guillebertus in illo ministerio aliquod factum perpetrasset, quod eum Sacerdotio indignum redderet. Complures nobiles Laici responderunt, eum nihil unquam fecisse, quod suo of-

Examen.

Bb b 3 ficio

Sæculum IX. A. C. 881. ficio aut legibus Ecclesiasticis adversare-
tur. Rursus Hincmarus interrogat; an
 aliquando officio Ecclesiastico functus
 fuisset? Respondit; fuisse se Præposi-
 tum Monasterii S. Vedasti Attrebatensis,
 jubente Episcopo suo Joanne, & Mona-
 chis consentientibus. Tumque literas
 Joannis Episcopi & Monachorum legi pe-
 tiit, qui ejus mores commendabant.
 Hincmarus iterum: *Cum aliquod Munus*
apud Regem obieris, explorandum est, an
non Regis debitor existas. Tum pro-
 ductæ sunt Epistolæ cum sigillo Regis,
 in quibus Rex profitebatur, Guilleber-
 tum sibi commissi muneris rationem ac-
 curate reddidisse, nec se unquam ab eo
 aliquid amplius exacturum; quin si E-
 piscopali fastigio dignus inveniretur, pe-
 tere se, ut Episcopus Catalaunensis or-
 dinaretur.

His omnibus per Epistolas & testes
 probatis, Hincmarus ad Archiepiscopum
 Turonensem: *Cum in tua Diœcesi sit*
natus, educatus, & ordinatus, petimus
a te licentiam, qua eum examinabimus,
an Episcopatu dignus sit. Atque He-
 rardo hanc licentiam lubentissime con-
 cedente, Guillebertus coram Episcopis
 confidere jubetur, traditur ei Liber Pa-
 storalis S. Gregorii, ut primum Caput
 legeret; interrogatur, an illud intelli-
 geret, an eadem docere, & vitam suam
 ad

ad eam normam instituere vellet. Cum ^{Sæculum IX.} que respondisset, quod vellet, traditur ^{A. C. 881.} ei legendus quartus Canon Concilii Carthaginensis, responditque, se eum capere, & observare velle. Tum præleguntur ei Documenta, quæ Neo-Episcopus ab Ordinatoribus suis recipere debebat, Regulas vitæ ejus morumque continentia, & interrogatur, an iis conformem vitam ducere vellet, ipsoque respondente, quod vellet, tandem Fidei suæ Confessionem publice recitare jubetur, eique subscribere, si ita crederet, si vero non crederet, libere discedere. Legit, & professus est, hanc esse Doctrinam, quam gregi suo explicaturus esset.

Expositio Fidei, quam Guillebertus professus est, non est inserta, sed Formulam habemus illius ætatis communem, & etiam peculiarem Adalberti, ab Hincmaro in Episcopum Teruanensem ordinati. In ea primo ponitur Articulus de Ecclesia Catholica, in qua sola esset remissio peccatorum, & extra quam nemo ^{Form. prom. n. 13. n. 12.} salvari posset. (*) *Recipio reverenter, inquit profitens, sex Concilia Generalia, Nicenum contra Arium, Constantinopolitanum contra Macedonium, Ephesinum contra Nestorium, Calcedonense contra*

B b b 4

Euty-

(*) Hujusmodi Testimoniis omnium Sæculorum Protestantium Sophisticata jugulantur.

Sæculum IX. *Eutycem, Constantinopolitanum contra*
 A. C. 881. *Theodorum aliosque Hæreticos, & tan-*
 dem *Constantinopolitanum de Quæstione*
 Eleatio Episcoporū. *duarum Operationum Jesu Christi cele-*
bratum. Ultima duo Concilia præterit
silentio, & subjungit: Damno omnes illos,
qui in his Conciliis damnati fuerunt.
Recipio Epistolam S. Leonis ad Flaviana-
num, & S. Athanasii Symbolum, quod
sæpissime in Ecclesia cantatur. Unde cre-
do tres Personas in una Divinitate.
 Tum explicat Fidem Trinitatis & Incar-
 nationis, & addit: *Anathematizo omnes*
Hæreses & Schismata, quæ Ecclesia ana-
thematizat, & omnia recipio, quæ Eccle-
sia recipit. Canones & Constitutiones
Conciliorum præsertim Privilegia Metro-
polis Remensis me servaturum & defensu-
rum promitto.

Postquam Guillebertus, electus Episcopus Catalaunensis, in hunc modum fuisset examini subjectus, & apparuisset Catholicus, literatus, Episcopatu denique dignus, lecti sunt Canones de iis agentibus, qui ex alia provincia evocantur, tumque Archiepiscopus Hinemarus cum suis Suffraganeis, Clericis, populoque Catalaunensi, humilibus precibus eum ab Herardo Archiepiscopo expetierunt, & obtinuerunt. Monuit Hinemarus Guillebertum, Fidei suæ professioni, quam modo legisset, subscribendum esse. Illico

Illico subscripsit. Mox lectæ sunt Epi-
 stolæ Episcoporum, qui ob diversa impe-
 dimenta huic examini præsentés esse non
 potuerant. Dicebant, consentire se de
 omnibus, quæ in causa examinis & Or-
 dinationis Guilleberti Canonice fierent.
 Exemplum ejusmodi Epistolarum, qui-
 bus absentes se excusabant, habemus a
 Prudentio Episcopo Trecensi, quod suo
 loco memoravi. In illa Epistola condi-
 tiones addit, quibus positis de Ordina-
 tione Aeneæ Episcopi Parisiensis consen-
 tiret.

Sæculum IX.
 A. C. 881.

n. 14.

Sup. Lib.
 XLIX. §. 13

§. XXXV.

Forma Consecrationis.

His Epistolis perlectis præstituta est dies
 ad ordinandum Guillebertum, nempe
 quinta Decembris, in quam illo anno
 868. Dominica secunda Adventus inci-
 debat. Indictus etiam locus nempe Mo-
 nasterium Bratiniacense in Dicecesi
 Noviodunensi, & Hincmarus Archiepis-
 copus Guillebertum monuit, confessio-
 nem generalem de tota vita sua coram
 Deo esse deponendam, quo aptior ad re-
 cipiendam consecrationem Episcopalem
 redderetur. Ubi dies Ordinationis il-
 luxit, Archiepiscopus, duo Episcopi Suf-
 fraganei, Hincmarus Laudunensis, & O-
 do Bellovacensis, atque Delegati Epis-
 coporum absentium ad Monasterium me-

n. II.

B b b 5 mora-

Sæculum IX. moratum se conferunt, cumque Archi-
A. C. 881. episcopus die Veneris in examine ad po-
 pulum de Electo satis verba fecisset, &
 hora urgeret, illa Dominica pro concio-
 ne non dixit, sed Introitu, *Gloria in ex-*
celsis, prima Oratione de Adventu, se-
 cunda pro Ordinando, & Litaniis decan-
 tatis, Guillebertus Episcopus consecra-
 tus est. Lecta deinde est Epistola & re-
 liqua Missæ solemniter peracta. Tum
 Neo-Episcopo Documenta, die præteri-
 ta eidem prælecta, ab Archiepiscopo, duo-
 bus Episcopis & Delegatis subscripta tra-
 duntur.

Adverto, quod in Adventu *Gloria*
in Excelsis &c. fuerit recitatum. (*)

2. 15.

Præterea Neo-Episcopus accipiebat
 literas Ordinationis suæ ipsa die & anno
 datas, quarum exemplum habemus in
 Literis Electramo Episcopo Redonensi
 traditis. In iis legebatur, quod 29. Sept.
 anno 866. ordinatus fuisset ab Herardo
 Archiepiscopo Turonensi, Actardo Epis-
 copo Nannetensi, & Roberto Cenoma-
 nensi, consensum suum per literas pro-
 vincia Episcopis. In Actis Ordinationis
 Hedenufi Episcopi Laudunensis præ-
 terea

(*) Plane, singulare est Fleurii in rebus om-
 nibus, ad Ritus Ecclesiæ spectantibus, adno-
 tandis studium & diligentia.

terea continentur mandata, quibus Me-
tropolita Neo-Episcopum instruebat. Sæculum IX.
A. C. 881.

Sunt in forma epistolæ ab Hincmaro Archiepiscopo ad Clericos, Magistratus, populumque Ecclesiæ Laudunensis datæ, & Documenta in iis contenta ex Tabulis Ecclesiæ Remensis deprompta, Episcopi officia omnia in compendio exhibent, tum admonitiones non nullæ contra abusus illius ætatis adduntur. In fine Libri Pontificalis Romani similia documenta leguntur. In literis vero ordinationis Hedenuffi, quibus Odo Bellovacensis, & sex alii illius provinciæ Episcopi subscripserunt, legitur exhortatio ad ejus Clericos populumque, quæ ei ut filii patri obedire jubentur.

Sed fusus Ordinationis Episcoporum Ritus in epistola Hincmari Archiepiscopi ad Adventium exponuntur. Die Dominica Episcopi illius provinciæ, Clerici, populusque ad locum Ordinationis mature pergant. Omnibus præparatis, Episcopis, sacris vestibus indutis, cunctisque ceteris Clericis prope Altare expectantibus Electus Pontificali ornatu splendens a Primiceriis Clericorum Ecclesiæ Cathedralis e Sacrario producat & in infimo loco penes Episcopos collocetur. Tum Consecrans Missam inchoat, dicit Introitum & *Kyrie*, cantat *Gloria in excelsis*, & recitat orationem, quæ in
Formula

op. 43.

Ordinatio
Episcoporum.

Sæculum IX. Formula Consecrationis primo posita est.
A. C. 881. Mox, priusquam legatur Epistola, populum monet, pro Electo, eumque Consecrantibus orandum esse,prehendit ejus manum, inchoantur Litaniam, interim Consecrante, Electo, & Episcopis assistentibus ante Altare inclinato capite stantibus.

Sub finem Litaniarum, quando dicitur *Agnus Dei*, Episcopi se erigunt, Consecrans Librum accipit, in medio aperit, & ponit supra collum Electi ante Altare adhuc inclinati, duobus Episcopis ex utraque parte librum sustinentibus. Illa ætate, qua Libri in volumen coacti erant, hic Ritus facile servari poterat, cum liber apertus utrinque, instar Stollæ, dependeret. Electo in hunc modum Evangelium portante, omnes Episcopi cum Consecrante dexteram capiti Electi imponunt, Consecrans recitat secundam orationem, præfationem, & tandem proprias Consecrationis preces. In illis locis, quæ Crucibus notantur, manu sinistra vas Sacri Chrismatis tenens, intincto pollice manus dexteræ toties in vertice Electi Crucem format. Consecratione peracta Episcopi ex ejus collo Evangelium detrahunt, Consecrans ejusdem digitum annulo ornat, dicens, eo significari fidelitatem, qua Episcopus Fidei arcana servet, scitu necessaria Auditoribus

toribus revelet, & quæ secreta esse oportet, silentio premat. Scilicet Veteres sigilla annulis impressa circumferabant. Tum Consecrans tradit Electro Baculum Pastoralem Insigne Regiminis, & pacis osculum figit, quod etiam Neo-consecratus omnibus Episcopis dat. Ponitur sedes, in qua secundum ordinem suum acquiescit. Legitur epistola, quæ est prima ad Timotheum de Officiis Episcopi, atque interim Consecrans & Episcopi provinciæ illius Decreto Ordinationis subscribunt. Missa finita hoc Decretum Consecrato ante Altare traditur, & omnes discedunt.

Tunc vero Episcopus Neo-consecratus ad Ecclesiam suam Cathedrali inter cantantium choros vel deducitur, vel portatur; quo ubi pervenit, in Cathedra confidet, & orationem habet ad Clericos, exhortans, ut quilibet sibi & Ecclesiæ in gradu suo ministret. Inde digreditur ad Sacrarium, & inchoato Introitu rediens solemnem Missam de more celebrat. Si Neo-consecratus Metropolita fuerit, Episcopi provinciæ, qui eum consecrarunt, huic Missæ secundæ intersunt, qua peracta literas Ordinationis super Altare ponunt, unde resumptas Consecrato tradunt.

Tales Consecrationis Episcopalis Cæremonia ætate Hincmari erant; idque mihi

Sæculum IX.
A. C. 881.

Sæculum IX. A. C. 881. mihi notatu præ ceteris dignum videtur, quod duæ Missæ, altera Consecrantis, altera Consecrati separatæ fuerint, quæ hodie conjunguntur.

Opusc. 46.
to. 1.

p. 762. Scripsit præterea Hinemarus Tractatum de Officiis Episcopi, in quo inter alia dicit, Episcopi esse, omnia necessaria tam Spiritualia, quam Temporalia Clericis suis suppeditare, ipsique incumbere, ut de luminaribus Ecclesiæ, de ornamentis, de fabrica, de fartis tectis, de pauperibus, de hospitalitate curam gerat. Nempe Bona Ecclesiæ necdum divisa erant; unde Episcopus Clericos sustentare & cetera memorata omnia curare debebat.

Dicit quoque Hinemarus, Episcopum teneri pro viribus, ex veteri more, ad defendendam Ecclesiam Regi milites mittere, ut redderent, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Nempe hæc erant obsequia Militaria, quæ omnes Dynastas, ut sæpius memini, servata ad ditiones suas proportione, præstare oportebat. Fusius deinde de usurpatione Bonorum Ecclesiasticorum disserit, & speciatim prohibet, ne quis, Regis auctoritatem obtendens, de Bonis Ecclesiæ Bellovacensis rapiat. Quod accipiendum de tempore illo, quo hæc Sedes Odone defuncto, & Odacro intruso, vacabat.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Res Italiae.

Sæculum IX.

A. C. 881.

Romæ Joannes Papa, cum complures *Ep. 271. 272.*
 querelæ contra Romanum Archiepis- *273. 275.*
 copum Ravennatem ad ipsum fuissent
 delatæ, cum citavit ad Concilium 24.
 Sept. anno 881. celebrandum. Ob il-
 lud vero præter alia, Papa Archiepisco-
 po succensebat, quod, se præterito, Ro-
 manus Episcopum Faventinum ordinas-
 set; unde Neo-Episcopo omnes functio-
 nes Episcopales interdixit, atque cuidam
 Episcopo vicino in mandatis dedit, ut in
 illa Ecclesia tanquam vacante munus
 Visitatoris obiret. Archiepiscopus Ra-
 vennas, cum vocatus ad Concilium Ro-
 manum non venisset, excommunicatus
 est, donec obediret, & sententia ipsius
 Clericis, populoque per epistolam, quar-
 ta Octobris anno octingentesimo octo-
 gesimo primo datam, promulgata. Sed
 ex epistolis anni sequentis eum Papæ re-
 conciliatum dispicimus. *ep. 274.*
ep. 308.
ep. 278.
ep. 300. 304.

Integro ferme anno, ex quo Carolus *ep. 269. 177.*
 Imperator coronatus fuerat, elapso Ro- *ep. 279.*
 ma ab eo auxilia nequicquam expecta-
 bat. Quod ex Papæ querelis in epistola
 præter alias undecima Nov. data vide-
 mus. Anno quoque sequenti octingen-
 tesimo octogesimo secundo desertum se *ep. 293. 298.*
 querebatur Pontifex, datis etiam ad Ri-
 char-

Sæculum IX. chardem Imperatricem literis. Sed in-
 A.C. 882. cassum omnia.

- ep. 195.* Sede Genevensi vacante, cum Car-
 lus Imperator ad eam occupandam
 quemdam Clericum, nomine Optandum,
 eligi curasset, Otramus Archiepiscopus
 Viennensis, qui Bosonis Regis partes se-
 quebatur, cum consecrare recusavit, ob-
 tendens, quod Optandus in illa Ecclesia
 nec ordinatus, nec baptizatus fuisset, a-
 liumque ordinavit Episcopum. Interim
 Papa, ne diu vacaret Genevensis Eccle-
 sia, rogatus ab Imperatore, Optandum
 suis manibus ordinatum ad Clericos po-
 pulumque Genevensem mittit, jubens,
 ut eum reciperent. Nihilominus adde-
 bat, nolle se, ut hæc Consecratio præter
 ordinem peracta, Metropolitanæ Jurisdi-
 ctioni noceret. Otramo deinde scripsit,
 exprobrans, quod Bosoni faveret, quem
 Tyrannum & inuasorem appellat, & præ-
 cipiens, ut Romam ad dicendam causam
 veniret, addita Depositionis commina-
 tione. Non paruit Pontifici Archiepis-
 copus, quin captum Optandum angusto
 carceri dari iussit. Papa, hac re com-
 perta, jubet, ut intra octo dies captivum
 libertatis restitueret, & Romam veniret,
 ubi in Concilio vigesima quarta Septem-
 bris, Indictione prima, anno octingente-
 simo octogesimo secundo celebrando se
 purgaret. Ad idem Concilium voca-
 vit

ep. 292. 295.

ep. 290.

vit Papa Adalbertum Episcopum Vallis Mauriensis cum Bernario Episcopo Gratianopolitano, quem Adalbertus Matutinas laudes in Ecclesia sua celebrantem, & vi armatorum inde abstractum, indignis modis habere ausus fuerat.

Romanus Archiepiscopus Ravennas procul dubio ab excommunicatione absolutus fuerit, cum Papa ei scribens vigesima octava Augusti hujus anni octingentesimi octogesimali secundi Indictione decima quinta nullam hujus rei amplius mentionem faciat. Erat autem scribendi causa, quod Papa duos Diaconos Romano commendatos vellet. In tribus epistolis sequentibus eadem die datis querelas affert contra Mainbertum Ecclesie Bononiensis Clericum, tanquam dissidiorum inter Romanum Archiepiscopum ejusque Clericos auctorem, præcipitque Romano Mainbertum comprehendere, & in manus Joannis Ducis, a se missi, tradere Romam deducendum. Aliis Ducibus quatuor præcipit Papa, præsidium militare eidem præstare, nisi facerent, in modum pœnitentiæ injungens; quilibet centum aureos daret, atque a vino & cibus ad ignem coctis abstineret. Romanus Archiepiscopus haud diu post obiit, scripsitque Papa ad ejus Clericos populumque epistolam, in qua dolorem profitetur, hortaturque ad preces pro

Sæculum IX.
A.C. 882.

ep. 300.

ep. 301. 302.
303.

ep. 304.

Hist. Ecclesiast. Tom. XII. Ccc de-

Sæculum IX. defuncto Episcopo suo fundendas. Unde de reconciliatione nullum dubium superest.

A. C. 882.

§. XXXVII.

*Joannis VIII. obitus. Marinus
Papa.*

*vit. Tom.
9. Conc.*

Joannes Papa VIII. e vivis migravit hoc anno octingentesimo octogesimo secundo decima quinta Decembris, postquam Sacram Sedem annis decem tenuisset. Habemus ipsius epistolas trecentas viginti, ex quibus dispicimus, fuisse rebus politicis Italiae & totius Imperii Francorum occupatissimum, atque tam frequenter Excommunicationis fulmen intorsisse, ut ista comminatio prope in communem epistolarum formulam transferit (*) Ceterum injunctas poenitentias,

(*) Scriptores alii Joannem VIII. Pontificem hac censura non perstringunt.

Illud vix credibile est, quod in Antonio Pagi legitur ad hunc annum N. VIII. Freherianus (id est Continuator Annalistarum Fuldensium a Frehero editus) vero ad initium sequentis Christi anni scribit, renunciatum esse Carolo Crasso, Romae Praefulem Apostolicæ Sedis Joannem ab iis, qui ejus thesaurum & Dignitatem anhelabant, malleolo percussum expirasse. &c. Caradina-

tias, ut Romam peregrinantibus faveret, Sæculum IX.
 temperabat. Cujus rei exemplum af- A. C. 882.
 ferimus.

Quidam, nomine Leontardus, com-
 misso homicidio pœnitentiam ab Episco-
 po suo injunctam impleverat, & absolu-
 tionem acceperat. Deinde vero, cum
 satellitibus fugientes fures persequi jus-
 sus, adjecto mandato, ne quemquam eo-
 rum occideret, si capere posset, cum u-
 num eorum comprehendisset, ipsi ocu-
 los eruit, tanta savitia, ut miseri mors
 brevi secuta fuerit. Leontardus iterum
 pœnitentiam ab Episcopo petit, qui ei
 injunxit; non nisi in articulo mortis

Ccc 2 com-

dinalis Baronius istud memorat: Quod autem
 ad reliquas ejusdem Pontificis res gestas perti-
 net, reperitur in Vaticanæ Bibliothecæ monu-
 menti ejusdem Joannis Papæ VIII. Constitutio
 de Cardinalibus, his verbis: *Itemque ex nostra
 præsentis Constitutione bis in mense vel eo am-
 plius vel apud illum vel illum Titulum . . . vos
 convenire mandamus. &c.*

Ceterum non est adeo mirandi locus, si
 quandoque in Joanne VIII. constantia desidera-
 ri videatur, cum continuis angustiis pressus Pon-
 tificatum gesserit, & parum absuerit, quin ipse,
 sicut aliquando Gregorius Magnus dicere audi-
 tus est: *Putabam, me futurum Episcopum Ro-
 manorum, nunc vero sum Episcopus Longobar-
 dorum, dicere coactus sit; timeo, ne fiam Epis-
 copus Saracenorum.*

Sæculum IX. communicare, a vino & carnibus abstinere, exceptis Dominicis & Festis, comam alere, uxorem non ducere, hominum frequentiam fugere, servis suis non imperare, Feudum a quocunque Domino non accipere.

ep. 62.

Leontardus Romam profectus est, scripsitque Papa ipse Episcopo, hanc pœnitentiam sibi videri plus justo asperam, hortatus, ut eam ex parte relaxaret, ne pœnitentem in desperandi periculum conjiceret, omnia tamen ejus arbitrio & judicio relinquens. Hic videmus pœnitentiæ Ecclesiasticæ non nunquam pœnas temporales fuisse adjunctas, quod non modicam creabat invidiam. Joannes Papa consulentibus se Episcopis Germaniæ, an in bello occisis, contra Infideles pro Religione & Republica pugnantibus, peccata sua remitterentur, respondit, illos, qui ita in exercitio pietatis Christianæ morentu, vitam æternam recipere, seque eis absolutionem, quantum posset, impertiri. Tandem jubente Joanne Pontifice Joannes Diaconus Ecclesiæ Romanæ, antea in Monte Cassinensi Monachus, vitam S. Gregorii Magni, ante annos trecentos defuncti, editis quatuor libris complexus est.

Postquam Joannes Papa VIII. in Domino obdormivisset, & Sacra Sedes diebus octo vacasset, in Dominica, die vigesi-

gesima tertia ejusdem mensis Dec. anno Sæculum IX.
 882. electus est Marinus, (*) hujus no- A. C. 882.
 minis secundus, olim Constantinopoli,
 & in Bulgaria Legatus, & Episcopus, (**)
 sed, ut credunt, nulli Sedi affixus, in il- Papebr. con.
 lum solummodo finem consecratus, ut hist.
 suo labore Sclavos ad fidem converte-
 ret. Is Sacram Sedem non plus quatuor-
 decim mensibus tenuit.

§. XXXVIII.

Hincmari Documenta Regi Carlomanno data.

Ludovico Rege Germaniæ vigesima Ja- Ann. Fuld.
 nuarii eodem anno octingentesimo 882. Bertin.
 octogesimo secundo fati functo, Carolo 882.
 Imperatori Fratri ejus Regnum totius opusc. 14.
 Franciæ Orientalis obtigit. Porro Lu- to. 2. p. 201.
 C c c 3 dovi-

(*) Aliis Marinus primus. Aliis Marti-
 nus II.

(**) Antonius Pagi ad hunc annum: *Ma-
 rinus hoc anno Pontifex Romanus creatus, po-
 stulatus quidem fuerat Archiepiscopus a Bul-
 garis, Hadriano II. Ecclesiam Romanam re-
 gente, sed nullum indicium est, ex quo appa-
 reat, eum tunc ordinatum fuisse Archiepiscopum
 ab Hadriano II. Quare Continuator Lambec-
 cianus perperam scribit, Marinum ordinatum
 fuisse contra Statuta Canonum, recte vero Fre-
 herianus, Marinum tunc fuisse Romanæ Eccle-
 siæ Archidiaconum.*

Sæculum IX. A. C. 882. Clodovicus Rex Neustriæ quarta Augusti

decedens Carlomanno Fratri totam Franciam Occidentalem reliquit. Tunc vero Regni Optimates Hincmarum, Episcopum, ætate & Ordinatione senio- rem, rogarunt, ut documenta conscriberet, quibus Rex juvenis dirigi, atque Ecclesia & Respublica reformari possent. Misit Hincmarus duo Opuscula, primum Optimatibus inscriptum, & magnam partem excerptum ex Adalardo, de quo ista memorat:

n. 12. *Vidi, cum fui juvenis, Adalardum, senem sapientem, Caroli Magni Imperatoris propinquum, Abbatem Corbejensem, omnium, qui Cæsari a consiliis erant, præcipuum, cujus Commentarium de ordine in Palatio servando concinnatum legi, & descripsi.*

n. 13.

Summam deinde Commentarii refert, nomina & ministeria præfectorum in Regia, tempus Comitiorum & Conventuum, in quibus bis in anno de salute Reipublicæ deliberabatur. Præfectorum in Regia primus erat Apocrisarius seu Archicapellanus, quod munus ab ætate Clodovei obierant Episcopi, qui Principem per vices & constituto temporis spatio, quocumque proficisceretur, comitabantur. Postea Pipino & Carolo Magno regnantibus, plerumque Diaconi & Presbyteri hoc Officioungebantur, ne Episcopi ab Ecclesiis suis abesse cogentur. Ita sub Pi-

n. 14.

n. 15.

pino

pino Fulradus Presbyter consentientibus Sæculum IX
A. C. 882.
Episcopis hac Dignitate eminuit. Sub
Carolo Magno idem Fulradus, tum En-
gelramus & Hildeboldus Episcopi, sub Lu-
dovico Pio Hilduinus Presbyter, cui suc-
cessit Fulco Presbyter, & tandem Drogo
Episcopus. Archicapellano subjecti e-
rant omnes Clerici in Palatio versantes,
eique junctus erat Archicancellarius, cui
suberant Notarii fideles & periti, qui Re-
gis epistolas scriberent. Nimirum Can-
cellarius & Notarii omnes erant viri Ec-
clesiastici. Archicapellani erat cogno-
scere de causis omnium Clericorum ad
Regiam venientium, nec ullus in conspe-
ctum Regis nisi ipsius opera admitteba-
tur, si quidem tantæ molis negotium
fuiisset, quod solus Archicapellanus defi-
nire non posset. Ipse in Regia, quæcun-
que ad Divinum Officium pertinebant,
Sacramentorum administrationem, ægro-
tantium subsidia, peccatorum conversio-
nem, verbo, spiritualia omnia cura-
bat.

n. 16.

Secundum Hincmari Opusculum ad Opusc. 15.
p. 216.
Episcopos datum, nihil continet aliud,
quam salubria consilia ad regendam æta-
tem Regis Carlomanni ex Scriptura &
Patribus deprompta. Tam in uno quam
in altero sæpe Concilium ad S. Macram
citatur, & adjungit Tractatum de Rapto-
ribus

op. 16.

Sæculum IX. ribus ad Ludovicum Regem a se missum.
A. C. 882. Hæc ultima sunt Hincmari Scripta.

§. XXXIX.

Hincmari obitus.

Ann. Bert.
 882
Flod. l. III.
C. ult.

Sub illud tempus Normanni usque ad civitatem Laudunensem pervenientes vicina omnia rapinis & incendiis vastabant, priusquam vero obsidionem molirentur, Remos & Sueffionem versus dirverterunt. Hincmarus mature quidem de hostium adventu monitus fuit, sed omni humano auxilio destitutus deprehendebatur; quippe Urbs Remensis muris clausa non erat, & dimissi Ecclesiæ suæ Vasalli cum Rege Carlomanno militabant. Ergo noctu fugam capessit, auferens, quod pretiosissimum habebat, S. Remigii corpus, & Ecclesiæ thesaurum, suorum manibus in lectica portatus, nam pedibus incedere infirmitas non permittebat. Canonici, Monachi, Sacræ Deo Virgines in diversa sparguntur. Ipse Archiepiscopus Epernacum cis Matronam se recepit. Normanni in partes diviserant exercitum, atque una usque ad portas Remorum progressa, quæ sub manibus fuerunt, diripuit, & non nullos vicos incendit; at civitatem non intravit. Hincmarus aliquot dies Epernaci commoratus obiit vigesima prima Decembris anno octingentesimo octogesimo secun-

secundo, ejusque corpus Remos in Ec-
clesiam S. Remigii reuectum, conditum-
que est in sepulchro, quod sibi ipsi infra
tumbam S. Episcopi præparaverat cum
Epitaphio. Ad ultimam senectutem per-
venerat, Sedemque Remensem ultra an-
nos triginta septem gubernaverat.

Hincmaro illa ætate Episcoporum
Francia nullus illustrior, & ejusdem Scri-
pta, quorum ferme omnium memini,
satis probant, in Scriptura & Patribus
fuisse versatissimum. Sed Canonum ma-
gis quam Theologiæ Studiosus summo
in pretio habebat Disciplinam Ecclesia-
sticam, quam contra molimina Princi-
pum, & ipsorum Pontificum magno vi-
gore defendit. (*) Stilus ejus fusissimus
Ccc 5 est

Sæculum IX.
A. C. 882.

Sup. Lib.
XLVIII.
§. 28.

(*) Qui ad Historiam Natalis Alexandri No-
tas adjecit Edit. noviss. Paris. p. 315 hæc habet:
*Inter Gallia Præfules Hincmarus emicat, eum-
que canonicæ jurisprudentiæ notitia excellen-
tissimum prædicant. Verum sicut non desunt,
qui ipsum effusissime colant, ita Et qui ipsius
Doctrinam in argutias, prudentiam in astutiam,
fortitudinem in pertinaciam aliquando de gene-
rasse dicant. Quapropter nec ipse Natalis illi
patrocinator, dum infra differit de ipsius con-
tentionibus cum Ebbone, Rothaldo &c.*

Ceterum Hincmarus vehementer Canones
defendit, sed sæpe cum ipsi in propria causa,
præsertim contra Ebbonem Antecessorem, fa-
vere viderentur.

Sæculum IX. est & impeditus, sermo ob crebras parentheses & citationes interruptus. Ubique plura felicitis memoriæ & eruditionis, quam artis, aut politioris ingenii indicia occurrunt. Ipso extincto, res Ecclesiæ in Francia tenebris involuta. Nilominus Schola Remensis diu stetit.

§. XL.

Normanni grassantur.

Ann. Bert.
881.
Meten. 881.

Anno superiore quoque octingentesimo octogesimo primo Normanni ingentem, quocunque devenerant, calamitatem attulerant. In Neustria Monasterium Corbejense, & Ambianum ceperunt. In Lotharingia, per Vahalim inveci, castra posuerunt Nimegii, quo incenso, mense Novembri ad oras Mosæ reversi sunt. Vastata tota regione flammæ injecerunt in Urbem Leodium, Trajectum, Tungros, Cameracum, Zulpicum, Juliacum, & Aquisgranum, ubi magnificum Caroli Magni Oratorium in equorum suorum stabulum converterunt, tandemque in Monasteria Indense, Malmudariense & Stabulense. Hæ urbes, hæc Monasteria omnia in cineres redacta. Monachi & Virgines Sacræ, quæ Barbarorum furorem effugere potuerunt, Moguntiam cum Sacris Reliquiis & Ecclesiarum suarum thesauris se receperunt.

Anno

Anno octingentesimo octogesimo in-
 eunte, cum Ludovico Rege Germaniæ
 e vivis erepto, copiæ, quas in Norman-
 nos immiserat, fuissent revocatæ, illi in
 regionem Ardennam irrumpunt, in E-
 piphania Domini Monasterium Prumien-
 se occupant, & per aliquot dies ibi com-
 morati, cum recessuri essent, incendunt.
 Omnia usque Confluentiam igne vastant,
 Treviros oppugnant, & civibus tum
 cæsis tum in fugam versis urbem quinta
 die Aprilis, in quam incidebat Cœna Do-
 mini, in potestatem redigunt. Cum ibi
 usque ad diem Paschæ mansissent incen-
 sis Treviris, iter Metas instituunt. Wa-
 la seu Valon Metensis Episcopus cum
 paucis copiis in irrumpentes imprudens
 movet, & interficitur in prælio. At
 tunc Barbari ulterius non penetrarunt,
 sed spoliis onusti reversi sunt. In Neu-
 stria Normanni omnia Monasteria Arte-
 siæ & Territorii Cameracensis concre-
 marunt. Mozomium & Diœcesis Re-
 mensis partem ad deditionem compule-
 runt. Cumque Imperator ex Italia ve-
 niens cum exercitu in eos movisset, i-
 psorumque castra, quæ ad ripam Rheni
 munierant, obsedisset, mutato subito
 consilio adduci se passus est, ut cum Bar-
 baris fœdera faceret. Godefrido alteri
 eorum Regi Baptismum suscipienti Fri-
 siam aliasque Ditiones dedit, alteri, cui
 nomen

Sæculum IX.

A.C. 882.

Fuld. 882.

Meten. 882.

Bertin. 882.

Sæculum IX.
A.C 883. nomen Sigefridus, magnam pecuniæ vim ex Thesauro Ecclesiæ Metensis aliorumque locorum Sacrorum acceptam tradidit, Hugoni Regis Lotharii filio usufructu Bonorum Episcopatus Metensis, Sede vacante, concessio.

§. XLI.

Fulco Archiepiscopus Remensis.

Cum Sedes Remensis, Hincmaro defuncto, aliquamdiu vacasset, rumor a malevolis spargitur, quod Clericus populisque Archiepiscopum elegissent, non expectato Visitatore, qui ipsis secundum Canones mittendus erat. Atque usque ad Regis notitiam delata est hæc calumnia. Quam ut diluerent, Clerici Remenses datis ad Hildeboldum Episcopum Sueffionensem aliosque Suffraganeos literis profitentur, nequam se Episcopum elegisse, nec etiam electuros, priusquam Rex Visitatorem misisset. Data est hæc Epistola quinta Februarii, cui Canonici Dominæ Nostræ (id est ad Beata[m] Virginem) Ecclesiæ Cathedralis, Monachi S. Remigii, Canonici S. Basilei & Theodorici, Monachi Orbacenses, & complures alii Vasalli Laici subscripserunt. Tandem electus & ordinatus est Archiepiscopus Remensis Fulco, vir nobilissima stirpe genitus, ab ineunte ætate inter Canonicos educatus, atque a Rege Carolo

zo. 8. Conc.
p. 871.

Anno 883.

Flod. IV.
hist. c. I. c. 4.

Carolo Calvo evocatus, exinde aulam Sæculum IX.
 fecutus Regibus serviit. Archiepisco- A. C. 883.
 pus creatus, Missa ad Marinum Papam
 Fidei suæ Confessione, Pallium accepit.
 Eidem etiam scripsit petens, ut Privile-
 gia Ecclesiæ Remensis confirmaret, ejus-
 que curæ paternæ Regem Carloman-
 num commendans. Illud quoque Pon-
 tifici in memoriam reducit, quod Romæ
 ipsum vidisset, & collocutus fuisset, o-
 lim in Romana profectioe Regem comi-
 tatus. Conjectura est, hunc Regem Ca-
 rolum Calvum fuisse.

§. XLII.

Capitulare Carlomanni.

Mense Martio anni sequentis octingen- Tom. 2. cap.
 tesimi octogesimi quarti Rex juve- p. 283.
 nis Carlomannus Comitibus Vernolii ad
 Æsiam convocavit, in quibus Capitulare
 Articulorum quatuordecim ad reprimen-
 das, insolens malum! frequentissimas
 rapinas editum. Præter pœnas tempo- c. 4.
 rales, statuitur, ut reus pœnitentiam pu-
 blicam subeat, & si ipse servus sit, etiam
 Domino ejus pœnitentia injungatur,
 quod sibi subditum latrocinantem non
 cohibuerit, cum ejusmodi licentiam cæ-
 des, incendia, aliaque nefanda crimina c. 5.
 sequerentur. Ut hoc statutum effectui
 dari possit, Episcopus, in cujus Dicecesi
 grassati fuerint, reos per parochos suos
 ter

- Sæculum IX. ter, si opus fuerit, admoneat; nisi sepe-
 A. C. 884. nitentiæ subdant, Episcopus contra eos
 pronunciet excommunicationem, quam
 latam esse refractoriorum Dominis, &
 Episcopis Fratribus suis significet. Si
 c. 6. latrocinium commissum fuerit in Dice-
 cesi, in qua grassator nec jure proprie-
 tatis nec Feudi quidquam possideat, E-
 piscopus eum per aliquem Presbytero-
 rum suorum moneat, & si contumacem
 c. 8. excommunicare cogatur, id Domino &
 Episcopo ipsius denunciaret; nullus vero
 Episcopus alteri succenseat, si alius Dice-
 cesanum suum ob hujusmodi admissa
 c. 9. crimina excommunicaverit. Regis Man-
 datarii, Comites, Præfecti omnes Epis-
 copis ad hanc legem observandam au-
 xilium præstent. Si Episcopi, necessita-
 te exigente, e suis civitatibus excedant,
 c. 7. Vicarios constituent, ad quos oppressi
 confugiant; quin etiam quando præsen-
 tes sunt, Vicarios in locis a Sede sua re-
 motis habeant. Quo furibus & latro-
 nibus necessitatis, quam obtendunt, spe-
 cies detrahatur, Presbyteri, (id est Paro-
 chi) iter facientes hospitio excipiant.

§. XLIII.

Alfredus Magnus, Rex Angliæ.

vit. Alfr. per Spelm. vit. per Asser. init. Dum Francia cum tantis malis confi-
 ctatur, tranquilla quiete fruebatur
 Angliæ, sub Alfredo, illa ætate Regum
 maximo

maximo. Erat is quinque filiorum Ethel-
 lufi Regis Saxoniae Occidentalis natu-
 minimus, anno octingentesimo quadra-
 gesimo nono in lucem editus. Quin-
 quennis a parente provinciae, quam De-
 metiam dicebant, Rex proclamatur, &
 Romam mittitur, ubi eum Leo IV. Pa-
 pa unxit. Biennio inde elapso videli-
 cet anno octingentesimo quinquagesimo
 quinto ipse Ethelulfus Romam profectus,
 iterum Alfredum juvenem, filium suum,
 comitari se voluit. Fratribus vero ejus
 Ethelbaldo, Ethelberto, & Ethelredo de-
 functis Alfredus ab omnibus Rex Saxo-
 niae Occidentalis salutatus.

De Rege Ethelredo singulare pieta-
 tis specimen narratur. Dani, seu Nor-
 manni a multis annis in Anglia grassan-
 tes, tunc forte copias in duas partes di-
 viserant, quarum alteri duo eorum Re-
 ges, alteri omnes eorum Duces prae-
 rant. Cum Rex Ethelredus cum fratre
 suo Alfredo in eos movisset, hostis ad
 exemplum dividere exercitum consti-
 tuit, & ipse cum uno agmine in Reges
 irrupturus erat, dum Alfredus alterum
 in Duces dirigeret. Jamque in conspe-
 ctu barbarorum stabant, sed ingruens
 nox certamen distulit. Albescente po-
 stera luce Alfredus admodum matuti-
 nus in hostes ruere parabat. Videns
 vero quod frater e tabernaculo non pro-
 cede-

Saeculum IX.
 A. C. 884.

Sup. Lib.
 XLIX. §. 29

Affer. p. 7.
Wil. Mal-
mesb. p. 24.

Sæculum IX.
A. C. 884. cederet, nuncios complures festinare ad
 eum jubet, qui indicarent, imminere
 Infideles, atque primos ordines pugna-
 re. Ethelredus Officio Divino intere-
 rat, remisitque ad fratrem, qui respon-
 derent, non exiturum se, priusquam
 completa fuisset Missa. Interim Alfre-
 dus hostes aggreditur, & quia loco ini-
 quo pugnabat, repellebantur Angli, nec
 multum aberat, quin in fugam conver-
 terentur; at Ethelredus signo crucis se
 muniens, cum minime expectaretur,
 strenue adest, suoque exemplo fractos
 animos erigens, memorabili edito præ-
 lio Christianis victoriam conciliat. U-
 nus ex Regibus Barbarorum, Comites
 quinque, militum ingens numerus, casti.
 Insignem victoriam ob Ethelredi pieta-
 tem Cœlo in acceptis referendam esse
 crediderunt.

Ingulf. p.
 869.

Ethelredo igitur defuncto Alfredum
 anno octingentesimo septuagesimo se-
 cundo Regem Saxoniarum cuncti venerati
 sunt. Sed per spatium annorum sex
 turbida fuere tempora, Danis Angliam
 bello infestantibus; quin, cum anno oc-
 tingentesimo septuagesimo octavo to-
 tam illam regionem in suam potestatem
 redegissent, Rex Alfredus in Silvam, un-
 dique subjectis paludibus inaccessam fu-
 gere, & in tugurio viri agrestis, qui regium
 pecus pascebat, delitescere compulsus
 est.

*Alfredi pie-
 tas.*

Asser. p. 9.

est. Ibi mensibus circiter sex moratus Sæculum IX.
 est, & in tantis angustiis prodigio acce- A. C. 884.
 pisse solatium a Cælo dicitur. Omni-
 bus circum aquis in glaciem concretis,
 miserat Rex suorum aliquos, qui vel pi-
 sces vel feras ad depellendam duram fa-
 mem caperent, & ipse solus cum Regia
 uxore domi manserat. Ne esset otiosus,
 librum accipit, & legit. Ecce vero pul-
 sat mendicus januam, & stipem rogat.
 Rex ad Reginam conversus interrogat,
 quid esset, quod dare possent. Et illa
 respondente, unicum panem superesse,
 ait, *sit Nomen Domini benedictum! da
 panem dimidium pauperi. Nam qui quin-
 que panibus quinque millia pauperum sa-
 tiavit, efficere utique potest, ut reliqua
 bujus panis pars nobis sufficiat.* Paupe-
 re illo gratias agente, Rex lectionem re-
 petit, & obdormit.

In somno conspicuus ei fit Sanctus
 Culbertus Episcopus Lindisfarnensis in
 eum modum verba faciens: *Deus me*
misit, ut tibi indicarem, viscera miseri-
cordiæ ejus commota esse tot calamitati-
bus, quæ longo tempore Anglos premunt.
Et eleemosyna, quam modo largitus es,
tam gratum Deo obsequium fuit, ut ideo
te Regno tuo restituere decreverit. Ac-
cipe signum, quod vera sint, quæ eloquor:
viri, quos piscatum misisti, etsi repugnet
anni tempus, maximam piscium multitu-

Hist. Eccles. Tom. XII. D d d di

*Sup. Lib.
 XL. §. 43.*

Sæculum IX. *dinem referent supra spem omnem & ex-*
A. C. 884. *pectationem tuam.* Rex somno discusso
 Reginam vocat, & quid sibi objectum
 narrat. Illa respondet, se eodem tem-
 pore dormitasse, & simillimo somnio ob-
 lectatam fuisse. Mox famuli redeunt a-
 deo ingentem piscium vim inferentes,
 ut facile ad reficiendum exercitum suf-
 fecissent.

Sup. Lib.
L.I. §. 53.

Affer. p. 10.

Haud diu post Alfredo compertum
 est, quod Hubba ex Ducibus Danorum
 aliquis, is ipse, qui S. Edmundum occi-
 derat, vita exutus, & *Corvus*, seu vexil-
 lum magicum, in quo Pagani spem ma-
 ximam collocare solebant, captum fue-
 rit. Tunc igitur collectis iterum copiis
 in Danos nil opinantes irruit, vincit,
 cumque fuga elapsos in arce, in quam
 se receperant, obsedisset, iis, quibus ma-
 xime volebat conditionibus, ad deditio-
 nem adegit. Videlicet, *Gutrum* Rex
 eorum sacro baptismatis fonte lavaretur,
 his, qui Regis sui exemplum imitari vel-
 lent, licentia fieret in illa regione perma-
 nendi, iisdem agri excolendi concederentur,
 ceteri sine mora ex Anglia solverent.
 Conditionibus acceptis *Gutrum* Danorum
 Rex baptizatur, Alfredo levante, qui eum
 Edelstanum vocavit, complurium Regum
 Anglorum nomine. Tandem diebus duodecim
 inter epulas
 con-

consumptis Regem ceterosque Neophy-
tos magnis donis cumulos dimisit.

Sæculum IX.
A.C. 884.

§. XLIV.

Leges ab Alfredo editæ.

Alfredus *Gutrum* aliisque Danis ad fi-
dem conversis Angliam Orientalem
& Nordhumbriam, tunc regna prope-
modum deserta, & incursionibus Barba-
rorum maxime vexata, in feudum dedit.
Tum operam jungente *Gutrum* novas
Leges ad Christianos hos neo-conversos
in officio continendos condidit. Ad
conservandam Episcoporum auctorita-
tem pœnæ etiam temporales, sed pro
Barbarorum ingenio non nisi pecunia-
riæ, injunguntur. Prohibetur relapsus
in Idololatriam, damnantur incestus, Au-
guria. Præcipitur, ut dentur Decimæ,
Dominicæ & Festa sanctificentur, jejunia
serventur. Hæ leges tam ad Clericos
quam ad Laicos pertinent; quin tamen
ideo a pœnis Canonicis sint exempti, si
Presbyter militet, aut si pejeret, si fure-
tur, si impudiciæ convincatur, si falla-
tur in denunciando Festo, vel jejunio, si
Sacrum Chrisma non petat, aut Baptis-
mum, ubi necessitas postulat, conferre
negligat.

n. 62.

to. 9 Conc.

p. 389.

Sup. Lib.

XXXVIII.

§. 16.

c. 2. 6. 16.

c. 9.

c. 10. 11. 14.

c. 12.

c. 3.

c. 4.

c. 5.

Alfredus Rex Anglis quoque sibi sub-
jectis novas leges dedit; is enim præci-
pius in illa Gente Legislator habetur.

D d d 2

Ill-

Sæculum IX.

A. C. 884.

to. 9. Conc.

p. 379.

Illarum Collectio ad nos usque pervenit, in qua dicit, quod ea amplexus fuerit, quæ optima in Legibus Antecessorum suorum, Inæ Regis Saxoniae Occidentalis, Offæ Regis Merciorum, & Ethelberti qui primus Regum Angliæ Religioni Christianæ nomen dedisset, fuerint inventa.

Act. 15.

can. 1.

c. 2. 4.

c. 5. 6.

c. 7. 11.

c. 10.

c. 20.

Primo ponitur in eadem Collectione Decalogus, compendium Legum Mosaiicarum, & Decretum Concilii primi ab Apostolis Jerosolymæ celebrati. Ex his Legibus ad Religionem spectant sequentes: Perjuro quadraginta dierum carcer, ad implendam pœnitentiam, ab Episcopo sibi injunctam, præscribitur. Ad Ecclesias confugientibus asylum & libertas conceditur. Furtum in Ecclesia, aut Die Dominica commissum graviore pœna dignum censetur. His legibus etiam cavetur, ne viri Sacris Virginibus illudere possint; unde dispicimus, quod claustris inclusæ non fuerint. Nemo præsentem Episcopo gladium educere audeat. Si quis Monacho sine licentia Abbatibus ipsius Depositum servandum commiserit, & amissum fuerit, deponens non habeat Actionem in Judicio. Festa in Anglia servari solita notantur, atque præter alia octo dies in Mense Augusto ante Festum Dominæ Nostræ, duodecim

ante

ante Festum Nativitatis Domini & quindecim ante Pascha indicantur. Sæculum IX.
A. C. 884.

His pactis cum Danis initis, & pace reducta, Rex Alfredus Sigelinum, Episcopum Sarisburiensem, Romam misit, quo, *Wil. Wal-*
mesb. reg.
lib. II. c. 4. atque etiam usque in Indias Sancto Thomæ dona pretiosa deferret. Episcopus, vastissimarum terrarum itinere feliciter confecto, ex Indiis uniones & aromata, Romam vero majoris pretii aliquid, videlicet, de Ligno veræ Crucis particulam, quam Marinus Papa Regi Alfredo donabat, cum pluribus aliis muneribus retulit. Præterea Regis precibus dedit Papam, ut Anglorum Scholam, quam Romæ habebant, a tributo eximeret. *Affer. p. 12.*
Math. West-
mon.

§. XLV.

Marini obitus. Hadrianus III. Papa.

Marinus Papa haud credidit confirmanda esse, quæ Joannes Antecessor suus contra Regulas Ecclesiasticas egisset. Unde Photio damnato, (*) For-

D d d 3 mo-

(*) Antonius Pagi ad hunc Pontificem N. X. anno 882. adnotat: *Græci Marinum pro vero Pontifice Romano agnoscere recusarunt, quod Photio Pseudo-Patriarchæ Constantino-politano suam ordinationem non significasset, prætexentes eum fuisse antea Bulgarorum Episcopum, ac proinde non potuisse ad aliam Sedem transferri. Næniæ!*

Sæculum IX. mosum quoque Episcopum Portuensem
 A. C. 884. Sedi suæ restituit. Plura comperta no-
 bis non sunt de hoc Pontifice, qui ex-
 eunte Februario, anno octingentesimo
 octogesimo quarto vita functus, Succes-
 forem habuit Hadrianum III. Patria Ro-
 manum, Benedicti Filium, Die Domini-
 ca, prima Martii, ut quidam putant, an-
 no octingentesimo octogesimo quarto
 ordinatum. Is Sacram Sedem anno u-
 no & mensibus quatuor tenuit, Photium-
 que, exemplum Antecessoris sui secutus,
 rejecit.

§. XLVI.

Epistola Photii contra Latinos.

Ap. Bar. an. **V**el Hadriano Papa, vel Marino S. Pe-
 883. tri Sedem occupante Photius data
 contra Latinos de Processione Spiritus
 Sancti Epistola, ad Archiepiscopum A-
 quilejensem, quem non nominat, dire-
 cta, in adversarios vehementissime inve-
 hitur. Est illa Epistola ad aliam ab Ar-
 chiepiscopo acceptam responsoria, di-
 citque, non sine maximo doloris sensu
 se percepisse, quosdam in Occidente af-
 firmare, quod Spiritus Sanctus non so-
 lum a Patre, sed etiam a Filio procedat.
 Hanc Doctrinam primo oppugnat ex Tra-
 ditione, dicens, S. Leonem Papam do-
 cuisse, quod S. Spiritus a solo Patre pro-
 cedat, & Leonem III. eandem Doctri-
 nam

Auct. noviss.
Bibl. PP.
 p. 527.

nam professum fuisse, cum Symbolum ^{Sæculum IX.}
 sine additione duobus scutis argenteis ^{A. C. 884.}
 incidi iussisset. Attamen longe diver- ^{Sup. Lib.}
 sum est dicere, Sanctum Spiritum a Pa- ^{XLV. §. 48.}
 tre procedere, nulla facta Filii mentione,
 & diserte negare, quod a Filio proce-
 dat.

Tum Photius adversus Doctrinam
 Catholicam eadem ferme argumenta,
 quæ in Epistola sua ad Orientales, seden-
 te Papa Nicolao scripta, affert, & ad ar- ^{Sup. Lib.}
 gumenta, tum ex S. Scriptura tum ex ^{L. §. 56.}
 Patribus adducta, respondere conatur.
 Fatetur tamen, non nullos ex SS. Patri-
 bus dixisse, quod Spiritus Sanctus a Filio
 procedat. Tandem extollit auctorita-
 tem Legatorum Joannis Papæ, qui in
 Concilio Constantinopolitano tam viva
 voce quam sua subscriptione declaras-
 sent, se in isto Doctrinæ articulo Græcis ^{Sup. n. 23.}
 consentire. At Joannis Papæ Epistolam
 premit. Ex his deinde infert, illos, qui
 hanc Doctrinam non reciperent, esse fi-
 lios Ecclesiæ rebelles, & damnandos ab
 omnibus, cum eam & Ecclesia Romana
 & ceteræ quatuor Sedes Patriarchales
 tenerent. (*)

D d d 4 §. XLVII.

(*) Ex his iterum liquet, Photium non di-
 vortium, sed communionem Ecclesiæ Romanæ
 expetiisse. Et merito quidem auctoritatem Le-
 gato-

Sæculum IX.
A. C. 884.

§. XLVII.

Saraceni in Italia grassantes.

Chro. S.
Vinc. Duch.
tom 3 p 997.
Sup. Lib.
LII. §. 47.

Interim Saraceni, antiquum malum, inferioris Italiae regiones impune depulabantur. Joanne Papa sedente, foederibus cum Athanasio Episcopo & Duce Neapolitano initis tuti Ditiones Beneventanam, Romanam, Spoletanam, vicinasque Insulas, maxime vero Ecclesias & Monasteria diripiebant. Mos erat Monachis Cassinensibus & S. Vincentii ad Vulturum, ad conservandam charitatem & communem Disciplinam, constituto tempore mutuo se se invisere; igitur quadam die, cum aliqui Fratres ex Monte Cassino ad Monasterium S. Vincentii venissent, subito *Sangdan* Saracenum Dux cum cohorte sua adequitate conspicitur. Cassinenses pavidi in arcem

gatorum Sedis Romanae allegasset, si ii mandatis, quæ acceperant, obtemperassent, & Joannes Papa Successoresque ejus Acta in Concilio Constantinopolitano confirmassent. Denique Photius vir doctissimus fuit & eruditissimus, sed malus Theologus, & sensum Sacrae Scripturae de Processione Spiritus Sancti tam parum intellexit, ac de aliis articulis Arius, Zwinglius, Lutherus, Calvinus, Melancthon, quem ultimum aliqui Protestantes, risu & commiseratione digni, Magistrum Germaniae deprædicant.

arcem vicinam, ad Monasterium suum ^{Sæculum IX.}
 pertinentem, diffugiunt. At Monachi ^{A. C. 884.}
 S. Vincentii, Thesauro Ecclesiæ abscon-
 dito, & senibus ad custodiam relictis,
 cum servis & vasallis strenue Infidelibus
 occurrunt.

Cum ad pontem, quo Vulturnus ster-
 nebatur, Monachi pervenissent, Sarace-
 nos coniectis saxis, armisque, quæ in il-
 la festinatione, arripere potuerant, a tran-
 situ prohibuerunt. Sed ecce, agrestium
 aliqui, pessima mancipia, vecordes e pu-
 gna se subtrahunt, & Ducem Saraceno-
 rum adeuntes, ad Monasterium se cum
 deducturos recipiunt, si modo vitam &
 libertatem promitteret. Ille multo am-
 pliora pollicitus, his perfidis ducentibus
 cum magna copiarum parte ad Mona-
 sterium contendit. Captum illico in-
 cendit, senibus illis, qui remanserant,
 ferro peremptis, quorum sanguine spar-
 so muri & Ecclesiæ pavementum diu ru-
 bescere conspecta sunt. Ceteris Mona-
 chis ad pontem præliantibus & prodi-
 tionis nefandæ ignaris deditum esse Mo-
 nasterium ascendentes flammaram glo-
 bi indicarunt, cumque in eos qui incen-
 derant conversi pugnarent, undique ho-
 stibus cinguntur. Illi quidem fortiter
 se tuentes memorabilem barbarorum
 stragem ediderunt, sed tandem numero
 oppressi, paucis fuga elapsis, ceciderunt.

D d d 5

Post

Sæculum IX. Post pugnam Saraceni, locum monstrantibus servis, terram fodiunt, & totum Ecclesiæ thesaurum inveniunt, quo inter se diviso, frumentum & legumina ad alendos monachos comportata in profluentem projiciunt. Ovantes deinde digrediuntur ad epulas, & *Sangdan* Præfectum suum ex calicibus sacris potantem aureis thuribus venerantur. Monasterii S. Vincentii excidium die Martis decima Octobris anno octingentesimo octogesimo primo evenit. Monachi superstites Capuam confugerunt, ubi Principe & civibus oppitulantibus novum Monasterium S. Vincentio Sacrum condiderunt.

Chr. Cass.
c. 44.

Elapsis exinde annis tribus destructum Monasterium Cassinense. Saraceni, qui ad Lirim sedem fixerant, Monasterium superius, ubi S. Benedictus sepultus fuerat, vastarunt quarta Sept. anno octingentesimo octogesimo quarto. Tum etiam vigesima secunda Octobris magnum Monasterium inferius diripuerunt, & injectis flammis cremarunt. Complures Monachi occisi, & præter alios Bertharius Abbas prope Altare S. Martini trucidatus. Sola Ecclesia Salvatoris, quamvis ignem sæpius iniecissent, illæsa permansit. Bertharius Abbatis munere ab anno octingentesimo quinquagesimo sextoungebatur. Isque in

Mabil. Act.
p. 464.

in Ecclesia exornanda totus fuit, & me-
 mor periculi, quod Monasterium sub ^{Sæculum IX.}
 Bassacio Antecessore suo subierat, cum ^{A. C. 884.}
 nihil propius esset, quam ut a Saracenis ^{Sup. Lib.}
 caperetur, muris & turribus, ut arces ^{XLVIII.}
 solent, Asceterium munivit, & circa Cel-
 las inferiores urbem ædificare cœpit.
 Sed tanta cura vim Saracenorum prohi-
 bere non potuit. Qui collectis spoliis
 triumphantium more in castra sua ad Li-
 rim posita redierunt; Monachi vero re-
 liqui, auferentes, quæ poterant, de the-
 sauro & tabulis Monasterii Teanum se
 receperunt, sub cura Angelarii, Præpo-
 siti sui, quem Abbatem sibi elegerunt,
 commorantes in Cella seu Prioratu, a
 multo jam tempore fundato, & S. Bene-
 dicto sacro. Haud diu postea Angela-
 rius Episcopus Theaninus electus est;
 S. Bertharius vero vigesima secunda O-
 ctobris honore Sanctis Martyribus debi-
 to colitur.

§. XLVIII.

*Hadriani III. obitus. Stephanus VI.
 Papa.*

Hadrianus III. Papa Antecessoris sui
 vestigiis insistens Photium damna-
 vit. Unde Basilius Imperator, datis ad
 eum literis, ne quidem a conviciis ab-
 stinuit; quæ vero non ipsi, sed ejus Suc-
 cessori *Papeb. cont.*

Sæculum IX.
A. C. 885.

Ann. Fuld.
885. ap.
Anast.

cessori redditæ sunt. Nam Hadrianus, postquam Sacram Sedem tenuisset sexdecim mensibus, in itinere, quod profecturus ad Carolum Imperatorem susceperat, vigesima Julii anno octingentesimo octogesimo quinto morbo correptus expiravit, & in Abbatia Nonantulana terræ mandatus est, ubi inter Sanctos colitur. Hadriano III. successit Stephanus VI. Romæ ex nobili prosapia natus, alterius Hadriani filius. Eum cura Zachariæ, propinqui sui, Episcopi Anagninensis & S. Sedis Bibliothecarii in literis humanioribus informatum, Hadrianus II. Papa, cum optimam indolem probaret, e domo patria evocavit, & Subdiaconatus ordine insignitum, apud se in Palatio Lateranensi versari voluit. Marino Papæ quoque carissimus, & ab eo Presbyter Tituli quatuor Coronatorum ordinatus, ejusdem latus deserere vix unquam sinebatur. Hadriano autem Papa III. factis functo, Episcopi, Clerici Romani, Senatus, populusque ad eligendum Papam congregati una voce Stephanum Presbyterum expetierunt, quod sperarent, ab extremis periculis tanti viri pietate & virtutibus liberari se posse; nam tunc Romani locustis innumeris, terræ ariditate & fame vexabantur. Hadrianus Papa Roma discedens Joannem Episcopum Ticinensem, Imperatoris Legatum, Vica-

Vicarium suum reliquerat. Hunc ergo Sæculum IX.
A. C. 885.
Romani ad Stephani domum, ubi cum
patre suo erat, deducunt, effringunt li-

mina, Stephanum ad suam Ecclesiam
quatuor Coronatorum, omnibus viribus
reluctantem, abstrahunt; nam clama-
bant ipse & parens tanto honore indi-
gnos se esse. Inde ad Palatium Latera-
nense procedunt, & priusquam illuc per-
venirent, imbre maximo decidente Deus
piissimi viri Electioni benedicere vide-
batur. Die Dominica sequente, forsan
vigesima quinta Julii, Stephanus in Ba-
silica S. Petri consecratus est.

Elapso paucorum dierum spatio Pon-
tifex Palatium Lateranense excussit, co-
mitantibus Episcopis, Legato Imperato-
ris & Senatu, ne testes omni exceptio-
ne majores deessent. Statim apparuit,
domus Pontificiæ supellectilem fuisse di-
reptam, & ceteris pretiosis furto ablati,
paucula vasa, quæ in solemnibus Ponti-
ficum conviviiis adhibebantur, fuisse re-
licta. Thesauros Ecclesiarum quoque
exhaustos invenerunt, atque etiam hor-
rea & cellaria vacua. Dolebat maxime
Pontifex, nihil suppetere, quod Clericis,
quod militibus largiretur, quo captivos
redimeret, aut pauperes diræ famis
tempore aleret. Ergo proprio patrimo-
nio, quod pinguisimum habebat, non
pepercit, in omnes liberalissimus Pon-
tifex.

Sæculum IX. tifex. (*) Familiares sibi delegit, viros
 A. C. 885. rebus gerendis aptos, & pietate insignes.

Ad prandium semper vocabat orphanos, quos ut filios proprios nutriebat. Quando nobiles viros invitabat ad mensam, etiam esca spiritualis præbebatur accumbentibus, nam sacrorum librorum lectio nunquam prætermittebatur. Quotidie Sacris operabatur, diu noctuque Psalmodia & orationi intentus, quantum cura gregis sui, cuius preces audire & necessitates levare tenebatur, permittebat.

Cum locustarum plaga, quæ sub Adriano Papa totam Romanam regionem affligere cœperat, non cessaret, primo Stephanus denunciari iussit, certam pecuniam se daturum singulis, qui modium nocentibus his insectis occisis refertum affer-

(*) Rebus Romæ & in Italia ita constitutis, Lector facile perspiciet, qua ratione videlicet non tam voluntate, quam necessitate, Principatus in Urbem & Ducatum Romanum Summis Pontificibus sensim obtigerit, ut nihil dicamus de Donationibus Pipini & Caroli Magni. Siquidem pro re derelicta haberi poterat supremum Dominium, quod nec Orientis nec Occidentis Imperatores sibi satis asserere valebant. Nec Roma tantum sed pleræque in Italia Civitates suos habebant Dominos. Atque, ut supra N. XLVII. memoravimus, Neapolis Athanasio Episcopo suo & Duci parebat.

afferrent. Quod factum quidem, sed Sæculum IX. A. C. 885.
quia hæc industria ad tollendum malum non sufficiebat, ad Sacellum S. Gregorii se contulit, ubi diu fluentibus lacrymis oravit. Tum aquam benedixit, deditque Colonis, addito mandato, ut eam populo distribuerent, qui eadem segetes & vineas suas respergerent, Dei auxilium invocantes. Ubicunque hæc aqua adhibebatur, rarefcebant locustæ; unde omnes vicini populi ad quærendum istud remedium Romam confluebant.

§. XLIX.

Epistola ad Basilium Imperatorem data.

Stephanus Papa acceptis Basilii Imperatoris Epistolis, ad Hadrianum Antecessorem suum directis, respondit data Ep. 1. to. 9. Conc. p. 366. to. 8. p. 1391.
Epistola, in cujus principio de diversitate duarum Potestatum differit. *Quo igitur pacto, inquit, a Deo datus (*) es nobis,*

(*) Ex his sequitur, Summum Pontificem neutiquam recusasse, Basilium non solum Græcorum, sed etiam Romanorum Imperatorem agnoscere, si modo Romanam Rempublicam sua auctoritate & Legibus regere, & sua potentia ab hostibus defendere valuisset. Sequitur etiam Stephanum Papam, qui Carolum Crassum ab Antecessore suo coronatum Occidentis Imperatorem

Sæculum IX. *nobis, ut rebus terrenis præsis, ita etiam*
A. C. 885. *nos per Principem S. Petrum spiritua-*
libus rebus præfecit Deus. Tuum est cu-
rare, ut Rebelles tyranni tua potentia
comprimantur; tuum est subditis populis
Jus dicere, Leges condere, terra mari-
que militares copias disponere, at nobis
cura gregis commissa est, tanto præstan-
tior, quantum distant a Cælo ea, que in
terris sunt. Et infra: Mirati sumus,
Principem, alias sapientem, usque adeo
potuisse falli, ut putidas calumnias con-
tra Marinum Papam audires. Dicis,
non fuisse Episcopum, quomodo id nosti?
Si vero ignoras, cur de Pontifice temere
judicas? Quicumque dicunt, Marinum
fuisse antea Episcopum, ac proinde non
potuisse ad aliam Sedem transferri, illi
id aperte ostendant. Sed etiamsi fuisset
Episcopus (quod tamen non () fuit)*
nihilominus salva Canonum auctoritate
transferri potuisset. Ut istud probet,
 Stepha-

torem utique non ignorabat, non credidisse,
 Romanum Imperium ita in Francos fuisse trans-
 latum, ut nihil juris Imperatoribus Orientis su-
 peresset.

(*) Fleurius putat, sup. N. XLVII. fuisse E-
 piscopum, ad Bulgaros missum, sed sine Sede
 certa & fixa. Quod si ita esset, nihilominus
 translatus ab una Sede ad aliam proprie dici
 non potuisset.

Stephanus Papa exempla S. Gregorii Nazianzeni, S. Meletii Antiocheni, & complurium aliorum, quos ab una Sede ad aliam, sed omnes in Oriente, translatos fuisse putat, profert. Tum subjungit: *Quid deliquit Sancta Romanorum Ecclesia, ut adversus eam linguam tuam vibres. Num juxta antiquum morem de Synodo Constantinopoli habenda ad te literas non dedit? peto a te, cuinam scribere oportuisset Romanorum Ecclesiam? Photio scilicet Laico? (*) Si enim haberes Patriarcham cum eo Ecclesia nostra frequentius literas communicaret. Sed, heu! gloriosa Civitas Constantinopolitana Pastorem non habet, & nisi amor, quo te prosequimur, prohibuisset, suasissetque injurias Ecclesiae nostrae illatas patienti animo dissimulare, Photium, peccatorem, qui contra nos indigna evomuit, pœnis longe gravioribus, quam Antecessores nostri, coercere coacti fuissimus. (**)* Non vero
hæc

Sæculum IX.
A. C. 885.

(*) Ex his dispicimus, datas fuisse Epistolas Constantinopolim de nova Synodo habenda; nempe in qua Acta Synodi pseudo octavæ rescinderentur, & hæc Epistolas non ad Photium, qui Romæ pro Laico habebatur, sed ad Basilium Imperatorem fuisse directas.

(**) Hæc & plura alia a Guilielmo Cave, qui omnia Photio faventia studiose affert, omittuntur.
Hist. Eccles. Tom. XII. E e e tur,

Sæculum IX. *hæc dicimus ad tui contumeliam, sed tan-*
 A.C. 885. *tum ad nostram defensionem, & Marini*
Papæ, qui eadem sensit, ac Antecessor no-
ster Nicolaus, & qui Nicolai Decreta
exequi cupiens a vobis ludibrio habitus
est, quin & in carcere per unum mensem
detentus, quod in Concilio vobis præsen-
tibus publice acta retractare noluerit.
Ceterum, cum audivimus, quod ex semine
tuo filium ad Sacerdotium dedicasses, ma-
gno repleti sumus gaudio. Rogamus præ-
terea, ut Classarios mittas, () qui ma-*
nia nostra custodiant, & a mense Aprili
usque ad Septembrem Agarenos incurven-
tes depellant. Reliqua silentio prætereo,
cum nec oleum pro Luminari Ecclesiæ no-
bis sit.

§. L.

Basilii Imperatoris obitus.

vit. Basil.
n. 97. p. 212.

Sup. n. 3.

Hæc Epistola non ante annum octingen-
 tesimum octogesimum sextum, Ba-
 filio Imperatore defuncto, allata est.

Postquam illi mors præmatura filium
 suum Constantinum primogenitum ra-
 puisset, affectus paternus, spesque om-
 nis transierat in Leonem filium suum se-
 cun-

tur, & premuntur silentio. Unde huic Scriptori
 sinceritas, quæ in Historico requiritur, deest.
 In Sæc. Phot. p. 47.

(*) His superius dicta confirmantur.

cundum, ex Eudocia susceptum, quem ^{Sæculum IX.} anno octingentesimo septuagesimo coro-
nari jusserat. Hic Princeps juvenis fer- ^{A. C. 885.}

re neutiquam poterat, quod tanta esset Santabareni apud Imperatorem auctoritas; unde in hominem sæpe juvenili audacia ludebat, dicens, plus justo amari a parente suo seductorem, Principis amicitia indignum. Cum susurriones hæc ad Santabarenum detulissent; ille, dissimulato dolore, quadam die ad Leonem, tanquam utile consilium juveni suggesturus, ait: *Hac fortiore ætate, cum parentem Imperatorem in agros & silvas pergentem sequeris, oporteret te esse sicca armatum, qua subito casu vel contra feras, vel contra occulti inimici insidias parentem tegas.* Ex his videmus, Græcos, nisi in bello, non adsuevisse ferro armatos incedere. Decepta est vero a veteratore adolescentis simplicitas; cumque exinde vestigia patris feras in Silvis insectantis premeret, in cuthurno altero sicam occultam habebat. Santabarenius autem aliquando ad Basilium Imperatorem: *Filius tuus Leo vitæ tuæ insidiatur. Si fides mea tibi suspecta est, jube, ei cotburnos detrabi.* Cum igitur illis diebus de more venatum exirent, simulat Imperator, cultro sibi opus esse, urgetque filium, ut sibi cultrum porrigeret, qui fraudis ignarus, sicam e-

E e e 2 ducit,

Sæculum IX. ducit, & tradit. Meditati sceleris con-
A. C. 885. victum credidit Imperator, filiumque
 in carcere includi, & cothurnis purpu-
 reis, Dignitatis Cæsareæ Insignibus, exui
 iussit. Quin Santabarenius parentem
 impulisset, ut filio oculos erueret, nisi
 Photius Senatusque obstitissent. At in
 carcere, Senatu frustra patris affectum
 ad commiserationem sollicitante, deten-
 tus est.

Quadam die, cum Imperator viros
 ex ordine Senatorio solemniter convivio
 adhibuisset, psittacus in illo triclinio, ut
 doctus fuerat, humanam vocem imita-
 tus sapius de more repetebat: *Heu!*
heu! Domine Leo! tristi memoria affli-
 ctos convivas tædebat cibum capere;
 atque Imperatori quærenti, cur dolerent,
 responderunt: *Hæc avis, animal ratio-*
nis expertus, exprobrat nobis, quam duro
pectore in Leonem Principem simus. Si
reus est, nullos nobis promptiores in eo
puniendo habebis, si vero insons, quam-
diu obtrectationem malevoli hominis vin-
cere poteris? Imperator his sermonibus
 commotus, deliberaturum se, dixit. Tum
 paucis post diebus cedens paterno affe-
 ctui, filium e carcere liberatum & in
 conspectum adductum, pristinae Dignitati
 restituit. Basilius inde haud diu super-
 stes fuit, obiitque prima Martii anno o-
 ctingentesimo octogesimo sexto, post-
 quam

Sup. Lib.
LI. §. 5.

quam cum Michaelē Antecessore suo Sæculum IX.
 anno uno, & solus annis octodecim & A. C. 886.
 dimidio imperasset. (*) Huic Principi n. 77.
 ornandarum Ecclesiarum cura maxima n. 82.
 fuit; quippe quadraginta duæ numeran-
 tur, quas Constantinopoli & in locis non
 admodum remotis, vel reparavit, vel a
 fundamentis erexit. Inter illas, quas
 ex toto ædificavit, est Ecclesia honori
 Jesu Christi, Angeli Gabrielis, Eliæ Pro-
 phetæ, Sanctæ Virginis, & S. Nicolai sa-
 cra. Ex tecto eminebant quinque ar-
 cuata fastigia cupro vestita. Muri intus
 polito marmore tegebantur, mensæ Al-
 tarium & cancelli ex argento deaurato
 erant, & pavimentum marmoreis tabu-
 lis servata proportione concinne junctis
 stratum. In area ante portam princi-
 pem, qua Ecclesia occidentem spectabat,
 duo fontes aquæ salientis conspicieban-
 tur, quorum subjecti alvei raro & exqui-
 sito lapide mire nitebant. Ad portam
 Septentrionem versus positam porticus
 erat, in cujus fornice Sancti Martyres
 depicti visebantur. Ad meridiem inter
 Ecclesiam & Palatium maxima area pa-
 tebat, in qua Imperator equo vectus
 non nunquam pilæ ludo recreabatur.
 Post Ecclesiam hortus subibatur. Unde

E e e 3 vide-

(*) Basilius Imperator a Nota Inconstan-
 tiæ in causa Photii absolvi non potest.

Sæculum IX. videmus, adhucdum illo ævo Ecclesias
A. C. 886. magnis locorum spatiis ab ædibus profa-
 nis fuisse separatas. Qualis vero illa æ-
 tate ars pingendi fuerit, specimen accipi
 potest ex quodam Manuscripto S. Gre-
 gorii Nazianzeni, quod in Regis Biblio-
 theca conservatur.

n. 16.

*Leo Allat.
 de Lib. Ec-
 cles. p. 88.*

Forſan etiam fuere, qui pietatem &
 Religionis amorem eſſe putarent, illam
 crudelitatem, qua Baſilius in Infideles
 ſæviſſe traditur. Nam Conſtantine Imperator
 Baſilii nepos, & vitæ ipſius, vel potius
 Elogii, Scriptor literis mandavit, quod
 captos permultos Muſulmanos ex Inſula
 Creta variis ſuppliciis aſſecerit. Non
 nullis, præſertim Apoſtatis, totam de
 corpore pellem detrahi juſſit, dicens, ſe
 ab eis unctiorem Baptiſmi, cui ſponte
 renunciaſſent, auferre. Aliis ſolum aliquot
 lora a vertice uſque ad talos exſecari,
 aliosque funibus in altum elevatos rursus
 in lebetes pice fervente plenos demitti
 voluit, illudens, hoc baptiſmi genus
 perfidis maxime convenire. Hæc facere
 credebatur, quod Muſulmannorum genti
 terribilis videri cuperet. Multis inſedit
 opinio, Baſilii Macedonis Imperatoris
 juſſu Menologium Græcorum, quod
 Martyrologio Latinorum conferri poteſt,
 primo fuiſſe collectum; ſed jam conſtat,
 id ex mandato Imperatoris Baſilii
 Porphyrogeniti, qui
 exin-

exinde post annos centum quinquaginta ^{Sæculum IX.}
regnavit, factum fuisse. A. C. 886.

§. LI.

Leo Philosophus Photium ejicit.

Basilio Macedoni successit, regnavitque
annis 25. Leo VI. filius, cui Litera- *Leo vit. n. 2.*
rum amor Sapientis seu Philosophi no-
men conciliavit. Primo regni sui anno,
ipso jubente, duo ex Aulae præfectis præ-
cipui in Ecclesiam S. Sophiæ se confe-
runt, Photii flagitiis publice ex pulpito *Sim. Mag.*
recitatis, eum e Sede Patriarchali eji- *n. 1.*
ciunt, & ad Monasterium Armenorum, *Leo Gram.*
exilii locum, abstrahunt. (*) In Sedem
E e e 4 Con-

(*) Cecidit tandem Romanorum Pontificum
(si Diis placet) æmulus, Oecumenici Patriarchæ
umbra. Ceterum justo Dei judicio, Photius in
Hæresim manifestam, de Processione Spiritus
Sancti, contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis
pugnantem, lapsus est; unde exemplo terribili
& luculento probatur, cunctos, qui a Commu-
nionem Petri, quem JESUS CHRISTUS Petram ap-
pellavit Matth. XVI. deflectunt, etiam a vera
JESU CHRISTI Doctrina deficere. Qui enim, ut
DD. Protestantes nostri nullam sequuntur Regu-
lam, nisi forsan Sacram Scripturam proprio ju-
dicio & privato arbitrio explicatam, necessario
aberrant. Dicit Cave, Photium per calumniam
fuisse pulsum; sed etiamsi insidiarum in caput
Leonis

Sæculum IX. Constantinopolitanam subrogatus est
A. C. 886. Stephanus Syncellus, Imperatoris frater,
 quem circa Festum Nativitatis Domini
 anno octingentesimo octogesimo sexto
 ordinavit Theophanes Protothronus, id
 est, Archiepiscopus Cæsareæ in Cappa-
 docia, quæ erat Ecclesiarum Constanti-
 nopolitanæ Sedi subjectarum prima. Ce-
 terum Stephanus Sedem Constantinopo-
 litanam annis sex tenuit.

Exinde Imperator Leo Euchaitam,
 cujus Civitatis Theodorus Santabare-
 nus Episcopus erat, misit, qui eum Con-
 stantinopolim adducerent. Quippe ad
 Imperatorem delatum fuerat, Photium
 & Theodorum animo constituisse, quem-
 dam Photii cognatum ad Imperii Solium
 evehere. Ambo carceribus diversis in-
 cluduntur, deditque Imperator Manda-
 tarios, qui formam Judicii instruerent.
 Vocatur Photius eoque in hemicyclo
 honorifice sedere jussu, ipsi in aliis ac-
 quiescunt, & interrogare accusatum in-
 cipiunt. Andreas Domesticus dixit:
Domine, an novisti Theodorum Abbatem?
 Photius respondit: *Theodorum Abbatem*
novi nullum. Volebat dicere, Theodo-
 rum

Leonis Imperatoris structarum, ut paulopost vi-
 debimus, non fuerit convictus, quis ignorat, in-
 signem præstigiatores aliunde Sacerdotio fuis-
 se indignum?

rum jam esse Episcopum & non amplius Sæculum IX.
A. C. 886.
 Abbatem. Contra autem Andreas eum pro Episcopo non habebat, quod a Photio fuisset ordinatus. Tum iterum Andreas: *Ain vero te Abbatem Theodorum Santabarenum non novisse?* Photius: *Novi Monachum Theodorum Archiepiscopum Euchaitanum.* Cumque & ille vocatus fuisset, Andreas dixit: *Imperator ex te scire vult, ubi pecunia resque ipsius sint.* Santabarenus respondit: *Sunt, ubi eas reposuit Imperator, qui tunc regnabat; nunc vero, cum eas Imperator repetat, in potestate ipsius est, easdem recipere.* Subjunxit Andreas: *Edic! cui destinabas Imperium, cum Imperatoris parenti suavisti, ut ei oculos erueret, an tuo, vel Patriarchæ Propinquo?* Santabarenus: *Neutrius eorum, quorum me accusas, mihi conscius sum.* Mox Stephanus Officiorum Magister, ex Mandatariis alter, ad Santabarenum: *Quomodo ergo misisti, qui ad Imperatorem deferrent, te certis argumentis demonstraturum, criminis reum esse Photium?* Tunc vero Santabarenus ad Photii pedes prostratus ait: *Obtestor te, Domine, per Sanctum Numen! ut primo me deponas, tuncque me, sacerdotio dejectum, obtrectatores uti sceleratissimum hominem ad pœnas deposcant; nunquam tamen me auctore vel conscio talia ad Imperatorem*

● Sæculum IX. delata sunt. Photius, ut profiteretur, A. C. 886. Santabareni innocentiam sibi omnino esse perspectam, dixit: *Per salutem animæ meæ, Domine Theodore, Archiepiscopus es in hoc & in altero Sæculo.* Andreas vero ira concitator ad Theodorum: *Itane, Abba! negas, te mihi præcepisse, ut ad Imperatorem deferrem, a te Patriarcham ultimi sceleris convinci posse?* Theodoro omnia pernegante, Mandatarii, quid in ista quæstione actum, referunt Imperatori, furiose indignanti, quod Photius nocens esse non satis probaretur. Ergo Santabarenum acerrime virgis cæsum Athenas in exilium misit, & postea utroque lumine suo jussu privatum in Natoliam relegavit. Exinde Constantinopolim revocato pensionem annuam, a quadam Ecclesia præstandam, contulit. Santabarenum adhucdum diu superstes demum imperante Constantino & Matre ejus Zoe, nempe anno 912. mortem oppetiit.

§. LIII.

Epistola Styliani ad Pontificem.

zo. 8. Conc. p. 1395. Porro Leo Imperator accepta Stephani Papæ Epistola, ad patrem suum data, Styliano Metropolita Neocæsariensi Euphratesinæ provinciæ, cognomento Mapa, ceterisque omnibus Episcopis, Abbatibus & Clericis, a Photio persecutio-

nem

nem passis, convocatis, ait: *Neminem compello, ut videtis, ad communicandum cum Pbotio, a me ipso expulso; sed potius rogo vos, ut Patriarchæ fratris mei communionem amplectentes, unum ovile & unum gregem efficiatis. Quia vero a Pbotio ordinatus est Diaconus, si inconsultis Romanis, a quibus Pbotius depositus est, nolueritis fratri meo communicare, scribamus & mittamus una Romam ad Pontificem, petamus Dispensationem & Absolutionem pro illis, quos Pbotius ordinavit. (*)* Ergo Imperator, simulque Stylianus nomine omnium Episcoporum, Clericorum, Monachorumque ad Stephanum Papam dederunt Epistolam, quam habemus. In ea Stylianus breviter & clare totam Schismatis Photiani historiam enarrat, initium ducens a Gregorii Syracusani condemnatione, quam a Leone Papa IV. & Benedicto ejus Successore confirmatam fuisse, differ-

Sæculum IX.
A. C. 886.

p. 1398.
to. 9. p. 368.

(*) Ex hac tota Epistola contra Græcos & Protestantes Jurisdictio Romani Pontificis in Ecclesias Orientales luculenter probatur. Clarissime demonstratur, ipsis Græcis consentientibus, Synodum Photianam, quam dixere octavam, nullius fuisse auctoritatis, nullius roboris. Tandem perspicitur, quod Communio Ecclesiæ Constantinopolitanæ adhucdum, post ita dictum Schisma Photianum, constiterit.

Sæculum IX. differte affirmat. At præstat credere E.
 A. C. 886. pistolis Nicolai Papæ, quem ego secutus
 sum. Dicit Stylianus, se ex numero il-
 lorum esse, qui ab initio, cum Photius
 in Cathedram Episcopalem intruderetur,
 reclamassent, & exinde cum ipso nun-
 quam communicasse. Eundem accusat,
 quod perditissimorum hominum opera
 Ignatio mortem consciverit, (*) & ab
 armatis in possessionem Ecclesiæ immissus
 fuerit. *Fratribus nostris, inquit, Sacra
 Mysteria ad S. Sophiam celebrantibus,
 intrat ille impudens, in Sanctuarium;
 quem ubi conspexerunt, Liturgia neu-
 tiquam perfecta aufugerunt.*

p. 1403.

Et post alia: *Cum videret, complures
 sine consensu Sedis Romanæ nolle eum re-
 cipere, fidem Pauli & Eugenii, quos Joan-
 nes Papa ad Ignatium Patriarcham in
 causa Bulgarorum miserat, solici-
 tare aggressus, datis muneribus vacillan-
 tes & comminatione Imperatoris per-
 territos eo adduxit, ut publice dicerent,
 se venisse ad Ignatium anathematizan-
 dum, & Photium Patriarcham confir-
 mandum. Præterea nomine Ignatii &
 Fratrum suorum literas confinxit, dein-
 de*

(*) Styliani verba sunt apud Baronium ad
 hunc annum: *Et ita Imperatorem adversus
 Ignatium irritavit, ut ei vitam male abstule-
 rit. Qui cum ita male fuisset mortuus &c.*

de Romam missas, in quibus Papam roga-
 bat, ut Pbotium reciperet. Hinc cum Sæculum IX.
A. C. 886.
 Petrus Presbyter Constantinopolim venis-
 set, tam ipse quam Paulus & Eugenius
 declararunt, Pbotium a Sacra Sede rece-
 ptum fuisse. Tum infra: Quoniam vero
 scimus, quod a vestra Apostolica Sede cor-
 rigi & juxta Canones corripiti debemus,
 bis nostris literis te oramus, ut miserear-
 is populi, qui non sine rationabili causa
 Ordinationem Pbotii recepit, auctorita-
 te Legatorum tuorum, primo, Rodoaldi
 & Zachariæ, secundo, Pauli & Eugenii
 deceptus. Noli velle, ut infinitus nume-
 rus cum Pbotio pereat. Hoc enim face-
 re consuevit Ecclesia. Synodus Calcedo-
 nensis deposuit Dioscorum, Hævesis Au-
 ctorem, & Flaviani Interfectorem; at
 illos qui ab ipso ordinati vel seducti fue-
 rant, ad pœnitentiam suscepit. Conci-
 lium secundum Nicenum quoque Iconocla-
 starum Hæresis Auctores damnavit, Se-
 ctatores autem ad pœnitentiam admisit.
 Te decet eadem indulgentia uti, ne popu-
 lus fidelis ad desperandum compellatur.

Stephanus Papa, accepta hac Episto-
 la, respondit: Non mirum est, si Pho-
 tium exosum & ab Ecclesia damnatum
 ejecistis, qui salutiferam Domini Crucem
 delusit. Vult dicere, quod Sacramenta
 & subscriptiones crucibus signatas vio-
 lasset; id enim a cunctis Sacrilegii ge-
 nus

tom. 8. Conc.

p. 1407.

tom. 9. p. 373.

Sæculum IX. nus habebatur. Tum Papa prosequitur:
 A. C. 886. *Ceterum, Epistolam Imperatoris a vestra*
Sup. Lib. *diversam invenimus. In illa enim Pho-*
 XLVI. §. 25. *tius, vitam quietam amplexus, & Sedi*
Constantinopolitanae, datis literis, re-
nunciassè dicitur; multum autem inter-
est, abdicassè, aut ejectum fuisse. Itaque
cum sententiam ferre non possimus, nisi
causa plene cognita, ab adversis partibus
Episcopi ad nos mittendi sunt, ut, quod
Deus dederit, pronunciemus. Nam Ec-
clesia Romana ceterarum omnium exem-
plar est, ejusque Decreta in sempiternum
manent. Orientales, elapsis demum an-
nis tribus, mandato in hac Epistola con-
tento, obtemperarunt.

§. LIII.

Epistola Fulconis ad Papam.

Flod. IV. c. 1. Interim Stephanus Papa, Marini & Ha-
 driani Antecessorum suorum exem-
 plum secutus, ad Fulconem Archiepis-
 copum Remensem literas dedit, solatium
 ferre conatus, atque Fratrem & amicum
 blande compellans. Igitur Fulco datis
 ad Papam Responsoriiis, profuse gratias
 agebat, dicens, se ad Pontificem ventu-
 rum fuisse, nisi ab Infidelibus includere-
 tur, qui decem tantum ab urbe Remen-
 si milliaribus distantes Parisios obside-
 rent. Unde dispicimus, hanc Epistolam an-
 te annum octingentesimum octogesimum
 sex-

sextum scriptam non fuisse. His addebat Sæculum IX.
A. C. 886.
 Fulco; tantis calamitatibus regnum Fran-
 ciæ jam annis octo affligi, nec tutum es-
 se, extra munitas arces degere. Dice-
 bat sceleratos quosdam Papæ exitium
 machinari, seque opem fuisse laturum, si
 temporum iniquitas permisisset, & profi-
 tebatur, se totamque familiam suam &
 præter alios Guidonem Ducem Spoleta-
 num, foederatum suum, quem Papa in
 filium adoptaverat, esse Pontifici addi-
 ctissimos, cui ipse & Suffraganei sui novo
 gratitudinis vinculo adstringerentur,
 quod Papa jura Ecclesiæ Remensis con-
 firmare vellet. Hanc Ecclesiam plus-
 quam ceteras in Galliis omnes a Roma-
 nis Pontificibus nullo non tempore fuis-
 se honoratam, quæ a S. Petro Primatum
 accepisset, cum ille S. Sixtum primum
 Episcopum illo misisset. S. Remigium
 ab Hormisda Papa Vicarium in Galliis
 fuisse constitutum, quibus beneficiis olim
 acceptis jam privilegiorum Confirmatio
 a Maximo & Hadriano III. Pontificibus
 concessa accederet.

Tandem rogabat Papam, ut, datis ad
 Archiepiscopos Senonensem & Rotoma-
 gensem Epistolis, eos urgeret ad excom-
 municandum Ermenfredum Usurpato-
 rem Monasterii, fundati a Rampone Ful-
 conis fratre, qui jam prius in hac causa
 ad

Sæculum IX. ad duos Pontifices Antecessores ipsius
A C. 886. scripserat.

Inter alias Epistolas, quas Papa, & Archiepiscopus Remensis ad se mutuo dederunt, occurrit una Papæ non solum ad Fulconem, sed etiam Aurelianum Lugdunensem, ceterosque Galliarum Episcopos de querelis Ecclesiæ Bituricensis contra invasionem Frotarii Archiepiscopi Burdegalensis directa. Nam Bituricenses contendebant, Joannem Papam Frotario Sedem Bituricensem tantum jure provisorio, quamdiu Burdegala a Barbaris occuparetur, concessisse. Ergo Stephanus Papa Frotarium ab Archiepiscopis ad reditum in Sedem suam compelli jubet, addita comminatione Anathematis, nisi morem gereret.

§. LIV.

Normanni ad portas Parisiorum.

*Chr. de
Norm. Gest.
Duch. tom. 2.
p. 527.*

† aliis Isara

Non sine causa de Normannis querebatur Fulco, nunquam enim alias penitus Franciam afflixerant. Jam prius anno octingentesimo octogesimo tertio mense Octobri per Terraciam ingressi, & superata † Orsia, a Rege Carlomanno prælio victi, nihilominus usque ad Viromandos penetrarunt, atque Ecclesiam S. Quintini, & S. Mariæ Attrebatî incendunt. Deinde Somonæ ripas secuti Rege cum exercitu in fugam verso & ultra

ultra Isaram se recipere compulsus, Am-
 biani hyemarunt. Inde frequentissime
 erumpentes, Ecclesias evertabant, cre-
 mabant vicos, Christianos alios capti-
 vos abstrahabant, alios trucidabant. In
 viis publicis corpora occisorum Cleri-
 corum, Nobilium, Virorum, feminarum,
 parvulorum jacentia iter facientibus oc-
 currebant. Christianorum non nulli, ab-
 jecta Religione, Normannis jungabantur,
 aut saltem eorum tutelam efflagitabant.
 Tandem ad pacta descendendum fuit;
 tumque duodecim millibus librarum ar-
 genti receptis, mense Novembri anno
 octingentesimo octogesimo quarto reces-
 serunt. Una pars Bononiæ conscensis
 navibus mare trajecit, alia Lovanii in
 Regno Lotharii sedem per hyemem sibi
 delegit. Ut vero tanta pecuniæ vis co-
 geretur, Ecclesiæ, earumque servi spo-
 liati. Sed paulopost, Rege Carlomanno,
 cum feras in nemore agitatur, vulnerato,
 & sexta Decembris anno octingentesimo
 octogesimo quarto ætatis suæ decimo o-
 ctavo, Regni autem sexto, extincto, illi-
 co redeunt Normanni, & Optimatibus
 conquerentibus, quod datam fidem fal-
 lerent, respondent, cum solo Rege Car-
 lomanno inita esse a se pacta, jamque ab
 ejus Successore parem pecuniæ sum-
 mam sibi dandam esse, si pace frui vel-
 let.

Sæculum IX.
 A. C. 886.

Fulco ap.
 Flod. LV. c. 5.

Ann. Met.
 884.

Sæculum IX.**A. C. 886.**

Responso feroci perterriti Proceres mittunt ad Carolum Imperatorem Legatos, qui Regnum offerrent. Venit ille in Franciam & Rex salutatur. At illico reversus est in Germaniam.

Chr. Norm.

Igitur Normanni, favente occasione, bellum restaurant, contra Franci, quo Barbaros morarentur, urbes ad amnes positas munire cœperunt, atque inter alias Pontæsiam, quam Normanni mense Novembri anno octingentesimo octogesimo quinto obsessam, & promissis pactis in potestatem redactam, nihilominus igne cremarunt. Inde Parisios processerunt, adversa Sequana navigaturi, ut ulteriorem regionem popularentur. Lembos vero agebant tanto numero, ut duarum leucarum spatio fluminis undæ con-

Abbo de bel-Paris. lib. I.

spici non possent. Tunc Sigefridus barbarorum Rex Gozelinum Episcopum Parisiensem adit, dicens, se innoxium solummodo transitum petere. Respondit Episcopus; Carolum Imperatorem suæ fidei commisisse hanc urbem, quam, priusquam dederet, ultima experturus esset. Illa tempestate urbs Parisiensis ultra Insulam, quæ hodieque civitatis nomen retinet, non protendebatur. Duo pontes aditum præbebant, nempe major ille, qui hodie *Pont au change* vulgo dicitur, & pons minor, cujus nomen mutatum non est. Uterque edita turri, qua

qua hostes lubire poterant, muniebatur, ubi hodie duæ † Arces extractæ visuntur. Ergo Normanni, ut Sequanam in potestate haberent, majoris pontis turrim ultra duos menses ferociter irruentes oppugnant; at, Odone † Comite Parisiensi, Roberto ejus fratre, Gozelino Episcopo, ipsiusque nepote Ebolo (*)

Sæculum IX.
A.C. 886.

† les deux
Chatelets.

† Eudes

Fff 2 Abba-

(*) In Annalibus Benedict. Tom. III. ad annum 888. legimus: *Superstes fuit tantum ad annos abhinc quinque Ebolus seu Ebulo Abbas, cujus tempore corpus S. Dionysii a quodam Gisalberto furtim sublatum, & Ratisbonam in Basilica S. Emmerami transportatum ferunt. In hujus rei argumentum Emmeramenses nostri duos lapides proferunt, in quorum uno hæc leguntur: Sub Ebulone Abbate Gisalbertus furavit; in altero: Furatus est quinque nonas Junii. Huc venit Frid. nonas Decembris tempore Tutonis Episcopi. Id ita accidisse Recentiores narrant. Gisalbertus homo Germanus rem se gratam Arnulpho Imperatori facturum existimavit, si corpus S. Dionysii Episcopi & Martyris suffurari posset, eique offerre. Hujus rei causa in Monasterium Dionysianum, tanquam criminis reus, se confugere simulavit, ut Sanctitate loci se poenæ subduceret. In hoc itaque asylo commoranti facilis fuit ad Sacrum tumulum accessus. Rebus omnibus ad furtum dispositis, Abbati & Monachis lautum convivium parat, omnibusque*
post

Sæculum IX. Abbate, qui ipsi dimicabant, eam strenue
A. C. 886. tuentibus, repulsi sunt. Unde insilire ces-
 sarunt ultima Januarii aëno octingentesimo
 octogesimo sexto, urbem tamen præsidis
 cinctam custodierunt usque in annum se-
 quen-

*post epulum somno resolutis. . . . Ratisbo-
 nam vero allatum corpus Tutone Episcopo:
 quod vere S. Dionysii primi Parisiorum Epis-
 copi & Martyris corpus esse coram Leone IX.
 probatum sit, & Pontificio Diplomate confir-
 matum. Verum ad refellendam hanc fabellam
 non aliis Auctoribus opus est, quam Germani-
 sis, Witichindo, inquam, Ditmaro, & Arnolfo
 Monacho, qui omnes sub finem decimi Sæculi
 scripserunt. &c. Postquam deinde Mabillonius
 Tom. IV. verba ex Bulla Leonis IX. Papæ retu-
 lit, subjungit: Hæc Summa vulgati Diploma-
 tis, quod subdititium esse vel ipsa contextus
 lectio persuadet, id est, Stilus, qui omnino a
 Pontificis Leonis aliorumque Romanorum liti-
 ris alienus est. Deinde multa in fidei illo
 Diplomate falsa continentur &c. Quæ hic
 Mabillonius commemorat. Et tandem subdit:
 Sed his nugis diutius immoror. Haud tamen
 absolute negaverim, Leone Papa Ratisbonæ
 demorante, quæstionem de corpore S. Dionysii
 ventilatam fuisse (id enim & Annales Saxoni-
 cæ tradunt) atque in S. Emmerami Templo
 tunc detectum fuisse quoddam corpus, quod e-
 jusdem S. Dionysii corpus esse, prolatis nescio
 quibus tabulis, Ratisbonenses asseruere. Idque
 forte*

quentem, quo Imperator Carolus, post-^{Sæculum IX.}
 quam bis misisset auxilia cum valido ex- A. C. 886.
 ercitu advenit. Sed ecce! pacem cum
 Normannis pudendam iniit. Gozelino
 Episcopo, antequam obsidio solveretur,
 fatis functo Aschiricus successit. Cete-
 rum res in illa obsidione gestas statim *Duchesne*
 carmine latino scripsit Abbo Monachus *to. 2. p. 499.*
 S. Germani de pratis, testis oculatus;
 verum stilo adeo barbaro & inquinato,
 ut intelligi vix possit. Libertatem re-
 ceptam Sanctorum Civitatis Parisiensis
 Patronorum, & præter ceteros S. Geno-
 vesæ atque S. Germani beneficium esse
 dicit.

Cum Normanni, Francis Parisios for-
 titer propugnantibus, ibi Sequanam tra-
 jicere non possent, incredibili solertia,
 scaphas suas ultra duo millia passuum
 terrestri via ad oram superiorem rapta-
 runt, iisque e ripa rursus in flumen im-
 missis, iterum contra Sequanæ fluctus
 scaphas suas agentes in annem Icaunam
 inveci, Senones sex mensibus irrita la-
 bore

Regin. an.
 888. *Ann.*
Met. eod.

forte Leoni persuasum fuisse. Hinc est, quod
 Henricus Rex (Franciæ) ad refellendam hanc
 opinionem frequentem Episcoporum, Abbatum,
 & Procerum cætum in Dionysiano Monasterio
 per Hugonem Abbatem indici jussit, ac Sancti
 Dionysii loculum reſerari &c. Quid de hac con-
 troverſia ſentiendum, Lector judicet.

Sæculum IX. bore obsederunt. At Burgundiam, ma-
 A. C. 886. gnâ partem, igne, ferro, latrociniis va-
 starunt. Everardus Archiepiscopus Se-
 nonensis, obsidione Parisiensi necdum so-
 luta, prima Februarii anno octingentesi-
 mo octogesimo octavo e vivis abiit, An-
 tistes doctrina & virtutibus celeberrimus. Is quondam Monachus & Præ-
 positus ad S. Columbam Ansegiso anno
Mabill. to. 6. octingentesimo octogesimo secundo mor-
 tuo successerat. Ipse vero Successorem
Act. p. 485. habuit Walterium meritis sibi longe
 imparem, Walterii Episcopi Aurelianen-
 sis Nepotem.

§. LV.

*Concilia Cabilonense & Colo-
niense.*

tom. 9. Conc. In tantis turbis nihilominus quædam
p. 399. Concilia in Provinciis ab Oceano re-
 motis celebrata. Quale illud est deci-
 ma octava Maji, anno octingentesimo
 octogesimo sexto, Cabiloni ad Ararim in
 Ecclesia S. Marcelli ad pacem stabilien-
 dam, aliasque causas Ecclesiasticas com-
 ponendas, habitum. Adfuere Episcopi
 octo, videlicet, Aurelianus Lugdunen-
 sis, Bernuinus Viennensis, Geilo, seu E-
 gilo Lingonensis, Adalgarius Augustodu-
 nensis, Stephanus Cabilonensis, Adal-
 baldus Bellicensis, Geraldus Matilconen-
 sis,

sis, Isaac Valentinensis, Leboinus Chor-Sæculum IX.
episcopus Lugdunensis. Unde videmus A. C. 887.
necdum Chorepiscoporum officium ubi-
que fuisse sublatum.

Anno sequente octingentesimo octo-
gesimo septimo prima Aprilis Concilium
Colonix in Ecclesia S. Petri, consentien-
te Carolo Imperatore, celebratum. Cui
interfuere Guillebertus Archiepiscopus
Colonienſis, Franco Episcopus Tungren-
ſis, Odilbaldus Trajectenſis, Wulfeli-
nus Mimigardefordienſis (nempe Mona-
ſterienſis) & Drogo, qui in ea Synodo
Episcopus Mindenſis ordinatus est. Luid-
bertus Archiepiscopus Moguntinus, &
S. Rambertus Hamburgensis Synodo
conſenſiſſe dicuntur. Nempe, ut con-
jicere debemus, per ſuos Legatos. Fran-
co Episcopus Tungrenſis contra raptors
Bonorum Eccleſiæ ſuæ querelas
movit; unde Synodus antiquos Cano-
nes commemoravit, minasque & Cen-
ſuras contra latrocinantes pronuncia-
vit.

p. 396.

§. LVI.

Translatio S. Martini ſecunda.

Ad hunc annum quoque octingentesi-
mum octogefimum ſeptimum ſecun-
da S. Martini Translatio ad Eccleſiam
ſuam Turonenſem refertur. Hoc Sa-
crum Corpus annis jam triginta & uno

Sup. Lib.

XLIX.

Odo de re-
verſ. 13. B.

Mart. Bibl.

Clnn. p. 114.

Fff 4

An-

Sæculum IX. Antiffiodori, quo metu Normannorum
A. C. 887. urgente delatum fuerat, detinebatur;
 tot tantisque vero claruit miraculis, ut
 oblationes Fidelium immensæ cumula-
 rentur. Cumque Clerici Antiffiodo-
 renses ingentem donorum vim cum Mo-
 nachis Majoris monasterii, † qui ad cu-
 stodiendas S. Martini Reliquias ibi man-
 serant, partiri vellent, quod dicerent,
 non solius S. Martini, sed etiam S. Ger-
 mani precibus patratorum miraculorum
 gratiam adscribi debere, novo miracu-
 lo litem pro S. Martino decisam fe-
 runt. Ergo cives Turonenses, oppor-
 tunum tempus nacti, ad revehendum
 Patroni sui corpus, miserunt Antiffiodo-
 rum, qui illud ab Episcopo repeterent.
 Is negavit, eo adduci se posse, ut Eccle-
 siam suam tanto thesauro, quem in ea
 invenisset, privaret. Ad Regem dein-
 de conversi sunt, qui invidiosum judi-
 cium a se amolitus est. Tum, cum re
 infecta Turonem reversi essent, & Ar-
 chiepiscopus Adalaudus, Episcopis Au-
 relianensi, Cenomanensi, & Andega-
 vensi convocatis, hac de re deliberasset,
 communi consilio statutum, ut Ingel-
 geri Comitis in Territorio Vastiniensi,
 † Loches Domini Lochiarum, † & Ambasiæ, do-
 mum etiam in Civitate Antiffiodorensi
 & circumjacentes agros possidentis, cui
 Rex nuper Comitatum Andegavensem
 dona-

† Marmou-
 tier.

† Loches

donaverat, auxilium flagitarent. Jam-Sæculum IX.
 que Delegatos ad eum mittere parabant, A. C. 887.
 cum ipse orandi studio, a nemine invi-
 tatus, Turonem venit, & ex Ecclesia pe-
 dem referens, socordiam exprobrat ci-
 vibus, quod Sancti Patroni sui corpus
 repetere omitterent. Illi, quibus obsta-
 culis id facere prohibiti fuissent, narrant,
 ipsiusque opem implorant.

Tunc vero Ingelgerus copias con-
 trahit, & postquam sex ferme cum pedi-
 tum tum equitum millia ad signa con-
 volassent, Antissiodorum movet; Archi-
 episcopus autem Turonensis interim u-
 nius hebdomadæ jejunium, & preces
 publicas ad felicem expeditionis even-
 tum a Cœlo impetrandum imperat. In-
 terea Ingelgero Comite ab Episcopo
 Antissiodorensi carissimi Depositi, quod
 Ecclesiæ ejus urgente necessitate com-
 missum fuisset, restitutionem postulan-
 te, respondet Episcopus, non oportere
 Christianos vi armorum in loca Sacra
 irrumpere; sed se postera die respon-
 sum daturum. Ubi deinde cum Epis-
 copis Augustodunensi & Trecensi, tunc
 forte præsentibus, consultasset, dixerunt
 illi, nullo prætextu tantum Depositem
 honeste retineri posse. Episcopus me-
 liora suadentibus morem gessit, celebra-
 ta est Missa in honorem S. Martini, ejus
 Corpus comitantibus Episcopis & ma-

Sæculum IX. magna populi frequentia, Turonem re-
A. C. 887. vectum est, ubi illud Archiepiscopus,
 Suffraganei, Clerici populusque inter
 maximæ lætitiæ signa exceperunt.

Plurima miracula in hoc S. Martini
 reditu, & ex quo in suam Diœcesim re-
 vectum fuisset, patrata feruntur, & man-
 datum, ut Translationis memoria quot-
 annis ipsa die decima tertia Decembris
 celebraretur. Hebernus majoris Mo-
 nasterii Abbas, qui S. Martini Corpus
Gall. Chro. olim Antissiodorum secutus, cum toto
to. 1. p. 749. tempore ad custodiam ibi permanisset,
 & in reditu comitatus fuisset, Ada-
 laudo in Archiepiscopatu
 Turonensi suc-
 cessit.

FINIS TOMI XII.



INDEX